PROSE VERSI
E ALTRI OPUSCOLI
RACCOLTI, E ORDINATI

DA GIAMBATISTA BOCCOLINI

CLASSE QUARTA

Che contiene le cose stampate in quarto
dall' Anno 1610. fino all' Anno 1690.

VOLUME XV.

*CON DIVERSE ANNOTAZIONI,
ET INDICI.*



PAGANINI GAVDENTII RHÆTI I. C.

In Gymnasio Pisano Eloquentiæ Professoris.

DECLAMATIONES OCTO.

Extra ordinem habitæ Anno MDCXXIX.

QVARVM CONSPECTVM VERSA PAGINA EXHIBET.



Achillis Ægidij

FLORENTIÆ, Apud Simonem Ciottum M. DC. XXX.
DD. SVPERIORVM PERMISSV.

DECLAMATIONVM Conspectus.



SER.^MO ETRVRIÆ MAGNO DVCI FERDINANDO SECVNDO:





Rælectionibus meis in Tacitũ præludunt Declamationes octo, in quibus ſic hiſtoriam tracto, vt Ciuiles cogitationes interponam; ſic eloquentiam profiteor, vt grauioribus monitis cupiam prodeſſe; ſic per omnem materiam liberè excurro, vt à propoſito non diſcedam, quod eſt excitare bonas mentes ad robuſtam Sapientiam,

& ſub pedibus videre, imò premere plebeiorum animorum trepida ſimulachra. Animaduerto, quàm arduum cliuum conſcenderim, proſpicio non eſſe mearum virium montem tam ſublimem ſuperare. Ergo ad Veſtrę Celſitudinis benignitatem confugio, ſine qua nihil vel minima laude dignum poſſit à me proficiſci. Externus ſum, procul à patria ſum, & quidem iam prope funditus exciſa; nullus hic aut ſanguine mihi iũctus, aut longa conſuetudine notus. Omnium oculi, & quidem acerrimorum hominum in me coniecti. Profeſsio mihi impoſita eiusmodi eſt, vt perpetuam alacritatem, quotidianam promptitudinem, linguę expeditam volubilitatem, rerum variã, & prope immenſam cognitionem, accuratam dicendi rationem requirat. Iam ſi quiſquam in ordinem redigendus, vt ſecum habitet, opus prouida cura, & accurata libertate. Inter hæc, quid eſt quod meo animo perpetuã

ſecu-

ſecuritatem ſuppeditat? Dum cogito, quis ille ſit, cui operã meam qualemcũq; nauo. Princeps nempe, qui, ſi quiſquam mortaliũ, feliciter, & acriter ingenia dignoſcere poteſt; cui nullus poterit inania verba pro ſolidis rebus obtrudere, quiq; iamdiu apud ſe ſtatuit, virtutem præcipuam eius, qui ſalutem populorum ſibi ſubiectorum promouere velit, eſſe, non aliunde, quam ex rebus geſtis diſcrimen inter homines conſtituere. De Veſtra Serenisſima Celſitudine mihi eſſe ſermonem, quotuſquiſq; eſt in hac regione qui non intelligat? Iam igitur magnę ſpei ſum plenus, has Declamationes nõ indignas viſum iri, quas ſemel atq; iterũ in manus ſumat; & ſi qui ſint, qui callidè eas oppugnent, iubeat eos aut tam bona, aut meliora præſtare. Nouit optimè Celſitudo Veſtra eſſe plurimos, qui in hac vitæ humanæ fabula nihil ipſi agunt, tantum quomodo alij ſe gerant Catoniano ſupercilio iudicant:

ſed neq́; publicè id faciunt, tãtum prenſant quoſdam ſemihomines, in aurem de libris maledicunt eorum, quos imitari, ſi vel Neſtoream ætatem viuant, nõ poterunt, & quibuscum palam congredi nunquam audebunt. Dabam Florentię Cal. Iulij. M. DC. XXX.

V. Celſit. Ser.^{mæ}

Subiectiſsimus Seruus

Paganinus Gaudentius.


PAGA-

PAGANINI GAVDENTII IVRISCONSVLTI,

DECLAMATIO PRIMA.

De ratione consequendi Eloquentiam per multiplicem vsum in vita ciuili.

Habita in solemni Studiorum instauratione.





X hac ipsa sede anno præterito cum de ratione consequendi Eloquentiam differerem, duobus opus esse eiusmodi facultatem consecuturo contendebam; Magna nempe rerum cognitione, & multiplici vsu in vita ciuili. De primo ita locutus sum, vt in vobis summam beneuolentiam, atq; humanitatem expertus sim, deq; tanto erga me affectu vbiq; fui gloriatus. Si namq; Florentiæ à Serenissimo Magno Duce maxima cum benignitate fueram admissus, vos profectò nihil omisistis eorum,

quibus vir externus, & qui tunc primùm pedem in hac regione ponebat, ad rem ſtrenuè gerendam poſſet excitari. Quod ſi hominem adhuc ignotum tam prolixa comitate excepiſtis, ſi orantem tam attentè audiuiſtis, ſi orationem honorifico teſtimonio ornare voluiſtis, quid iam mihi non potero polliceri? Poſtquam res meæ in hoc celeberrimo Gymnaſio eò ſunt progreſſæ, vt vix vllum putem eſſe inter vos, qui me ſibi priuatim aliquo non deuinxerit beneficio. Certè pleriq; ita mecum egiſtis, vt fauor veſter in amicitiam, amicitia in amorem, amor in familiaritatem tranſiſſe poſſit videri. Vt ita loquar, qui vobis, excellentiſſimi Doctores, lõgè ſum inferior, facit affectus veſtri erga me magnitudo. Qui igitur ſemper beneuolè mecũ agitis, adeſte, & meam imbecillitatem, dũ de Ratione cõſequendi Eloquentiã per multiplicẽ vſu in vita ciuili diſſero, eadẽ beneuolẽtia ſubleuate. Illud ante omnia, Auditores, dicamus oportet, diſcrimẽ eſſe conſtituendũ inter eloquentiam, quam ſic vocabo vmbraticam, quę ſeſe intra certum hominum genus continet, & Scholarum parietibus inclu-

ditur;

ditur; & inter Illam, quæ ludicras exercitationes spernens vim suam transfert ad quotidianos congressus, ad negotia magni momenti tractanda, ad demulcendos animos, ad varios affectus in hominibus excitandos: Huic seriæ, huic robustæ, huic laboris plenæ, præludit illa non aliter quam cum leone congressurus taurus arenam iactat, arborem petit, cornua acuit. Nec vllus, sat scio, inter vos fuerit, qui existimet, me dum de Ratione consequendi eloquentiam dissero, hoc agere, vt diuinam, & prope dixerim immensam facultatem limitibus Scholasticæ, & eruditæ declamationis circumscribam. vt enim quis in Rhetorum gymnasijs vim suã in dicendo ostentet, non opus fuerit multiplici illo vsu in vita Ciuili, quem ad eloquentiam consequendam studiosis iam suscepimus commendandum. Exultauit olim inter oratores vmbraticos Isæus, cui torrentem dicendi copiam scimus à locupletibus auctoribus adscriptam. Is quia declamandis controuersijs plurimum operæ, & temporis impenderat, derepente conscendens subsellia, de quocunq; argumento, quod homini

proposuisses poterat non sine celeritate orare, plurima in medium proferre, & auditorem etiam doctum admiratione replere. Qui interim nunquam fuisset in forum venire ausus, reos tueri, causas agere, de lege aliqua vel ferenda, vel antiquanda in amplo Iudicum consessu cum aduersario congredi. Nouerat ille sua bona, nouerat quibus studijs se ab ineunte ætate dedidisset, nouerat satius esse cum securitate tueri veram laudẽ, licet non adeò latè patẽtem, quam maiorem affectando, eam quam iam erat adeptus, amittendi periculum subire. Nos verò sic Isæi Eloquentiam, sic cæteros dicendi Magistros extollimus, & meritis laudibus ornamus, vt studiosę iuuentuti simus auctores, vt ad illam Eloquentiã adspirent, qua possint Amicis prodesse, rem suam promouere, patriam ornare, Principi, vbi ad honorificũ aliquod munus fuerint vocati, inseruire. Huc, fateor, tendimus, huc arcum orationis dirigimus, dum per multiplicem vsum in vita ciuili ciuilem Eloquentiam gigni, atq; augeri disputamus. Et simul ad alterum transimus, quod causę nostrę muniendæ pręstruimus, ad Pru-

dentiam ſcilicet, ſine qua ſi quis ſperet ſe poſſe veram laudem ob Eloquentiam non vmbraticam, ſed ciuilem adipiſci, nę ille in maximo errore verſatur, & tandem ſe in magna rerum cognitione conſequenda operā perdidiſſe, quando emendationi amplius non fuerit locus, dolebit. Si nihil eſt tam ſanctum, tam rectum, tam iuſtum, quòd abſq; modo ſi fiat, reprehenſionem non mereatur, abſq; prudentia in moleſtiſſimam garrulitatem degenerabit eloquentia. Et ille rebus ſuis optimè conſulit, qui cum ea, quę didicit, tempeſtiuè proferre neſciat, ſaltem ſilendo, ſe prudentia non deſtitui oſtendit. Hęc cauſa eſt cur modeſtia iuuenes, ſilentium mulieres decoret, quia impetu cum ferantur, dum multa loquuntur, moleſtiam auditoribus, non adferunt voluptatem. Hinc etiam factum eſt, vt dixerint viri ſapientes fieri non poſſe, aut ſaltem difficillimè poſſe, vt quis multa, & bene loquendo in medium adferat. Vir namq; prudens, non quicquid in mentem, &, vt ille dicebat, buccam venerit, effutit, ſed ſecum priùs habitans ſenſa animi velut ad lancem expendit, cauetq; dili-

gentiſſimè, ne cogatur cum pudore, cum dedecore ſępiùs repetere illud: Nolim dictum. Cur quęſo, Auditores optimi, prouida rerũ parens Natura, duabus auribus, vno ore hominem inſtruxit? niſi quia voluit hoc artificio indicare plura eſſe audienda, atq; adeò animo reuoluenda, & ſupputanda, quam ore emittenda, ex quo quidquid ſemel fuerit profectum reuocari non poteſt, redire neſcit; volat per ora hominum, & ſępiſſimè vnde commendationem ſibi quis pollicebatur & laudem, vituperationem colligit non facilè obliterandam. Hic itaq; omnes ingenij vires ſunt excitandę, excutiendus veternus, diligentia adhibenda non vulgaris; quandoquidem de re maximi momenti agitur, de eloquentia ciuili, vt ſi magnam rerum cognitionem fuerimus conſecuti, in rem præſentem, quibus fuerit opus, rationem aſſequamur depromendi.

Hic nonnulla omittuntur.

Laurentius Medices ob animi magnitudinẽ, & acrem eloquentiam præcipuè commendatur. Ille ipſe, cui quod artes, quibus elegãter vrbes inſtaurantur, regnent, Europa, niſi

ingrata

ingrata esse velit, imputet necesse est. Is in maximo discrimine constitutus, illinc furentibus in populo hostibus, hinc Rege Neapolitano arma parante, quò quęso cōfugerit, existimatis auditores? Iam scitis eum ad Eloquentiam tanquam ad sacram anchoram se recepisse feliciter. O egregiam mixturam, quam in animo ipsius fecerant ingenij celeritas, mentis erectio, promptitudo in proferendis ijs, quibus opus esset. Breuiter dicam, ita erat eloquens, vt magnanima prudentia esset instructus. Regem vltrò adijt, quem nō solùm flexanima oratione placauit, sed eum ita sibi conciliauit, & in suas partes traxit, vt ipsius auctoritate interposita in pristinum, imò maiorem splendorem restitutus fuerit. Eant nunc mortales, & si Dijs placet, prudentiam ab Eloquentia seiungant, imò cogitent nullum esse maius homini cum difficultatibus luctanti munimentum, quàm si sciat causam suam tueri ita acriter, & intrepidè, vt in alterius beneuolentia omnem suam spem collocare velle videatur. Dici namq; non potest, quantopere delectetur is, à cuius voluntate pendet nostra incolumitas, si audiat ho-

minem collecto animo ſtringentem tela rationum cautè, vehemēter, liberè, vt eius dicta ad minimum vsq; verbum à profunda ſapientia dictata cogatur apud ſeipſum fateri. Habemus nos, qui in Etruria degimus, quando de maximis virtutibus ſermo eſt; & præſertim potentiſſima eloquentia, habemus, inquam, exempla, quæ Græcis ſua tantùm mirantibus, & multa fingentibus opponamus. Etiam extra Romanā hiſtoriam ſuppetunt domi ſplendidiſſima ornamenta, ad quæ non dicam imitanda, ſed poſt longum interuallum ſequenda non poterunt aſſurgere niſi egregiæ mentes. Inter quæ circumſpecta, & multiplex, & expedita eloquentia cum florentiſſima familia quæ imperat, non interrupto more coniuncta eſt. Sereniſſimus Magnus Dux Ferdinandus Secundus, ſub cuius dominatu floret hæc regio, ideò perpetuam laudem ex itinere, quod anno præterito ſuſcepit, reportauit, quòd licet iuuenis poſſet quibuſcumq; de rebus, quarum incideret mentio promptè, appoſitè loqui, vt ſemper agnoſceretur, & Magnus Princeps, & magna rerum cognitione ſupra ætatem

prçditus, & cui perennis dicendi felicitas in omne momentum suppeteret. Certè viri insignes, quibus contingit ipsum alloqui, in eiusdem admirationem rapiuntur, quod accuratissimè obseruet, quod suam dignitatem decet, & tamen tam placidè, tanta cum facilitate, de omnibus ijs, quç in vita ciuili euenire possunt, colloquatur. O nos beatos, qui prudentiam cum eloquentia coniunctã volumus. Nam si nulla alia ratione niteremur, quis non illico nostrç opinioni, quam Serenissimi Domini tuetur exemplum, applauderet? Ita expeditior ad tertiũ transgredior, ne vos per multas cogitationes detineã, humanissimi Auditores: Vt quia eloquens nequit esse, qui non sit prudens, & prudenter nequeat aliquis loqui, de quibus nullũ vsum habeat, hoc Eloquentiç studiosus statuat secum oportet, vitç ciuilis omnes partes sibi peruadendas, nullum non hominum genus cognoscendum, in omnes formas se vertendum. Eloquentiç propria laus est, varios motus in animis hominum ciere, huc illuc eos impellere, quaslibet opiniones menti ipsorum inducere, quç rebus nostris prosint,

ſint, commoda promoueant. Hoc vt quis conſequatur ex animi ſententia, annon illorum ingenium, quos alloqueris, diligenter eſt perueſtigandum? mores indagandi? conſilia excutienda? Hinc quibus rationibus moueri, duci, trahi poſsint diſces, hinc quibus artibus in tuas partes inuitari poſſint, vt veniãt, aſsequeris. Quòd ſi imparatus, ſi deſtitutus præſidio, quo ſemper ſe muniuerunt mortales, ad ſuadendum accedas, non ſolùm quicquam proficies, ſed irritabis potius, inuidiã, odium in te deriuabis, quos acceſſuros ſperabas, auertes. Non alia profectò de cauſa magnus Ariſtoteles multiplices hominum mores ex ætate, dignitate, alijsq; deſcripſit, quã vt id ipſum, de quo iam loquebamur, indicaret. Quod ſi quis illa, quæ de varijs hominũ inſtitutis docuerunt Auctores, ſatis eſſe ad eloquentiam putauerit, ſe conſilium magnorum virorum non aſſecutum oſtendet. Primùm namq; nõ omnes hominum mores deſcripſerunt, quales ſunt illi, quæ à regione, in qua quis natus, petuntur. Vt enim aliter Itali, aliter Germani, Galli aliter ſapiunt, & inter ipſos Italos varię ſunt pro diuerſitate locorũ

pro-

propensiones,ita variandam cum ipsis agendi rationẽ nullus omninò dubitauerit. Non igitur poterimus esse contenti ijs, quæ à dicendi Magistris hactenus tradita fuerunt. Præterea, vt fateamur lectionem librorum vtilem esse ad prudentiam, sine qua Eloquẽtia consistere nequit, consequendam, minimam tamen partem eorum, quibus opus est ad tantam rem, libris contineri, contendimus, & affirmamus. O paupertinam, ò ieiunam, ò trepidam, ò intempestiuam eloquentiam, quam soli libri suppeditarunt. Ex solis libris qui sapiunt, iucunda quadam ratione desipiunt. Tollenda tandem de tabula manus, ponenda exemplaria, soluendum portu, ciuiles vndæ tentandæ. Plus enim prodest ad prudentiam, atq; adeò eloquentiam vnũ exemplum, cuius tu pars fueris; quod videris, quam plurima, quæ dum velut sedula apis flores decerpis, comportasti. Iterum exclamo: ò miseros, qui vitam transigunt nihil agendo, dum exempla colligunt agendi. Horum nomine studia literarum à ciuilibus ingenijs traducuntur, quasi homines ad vitam ciuilem non excitent, non in-

ſtruant, ſed hebetes, & ineptos reddant. Homerus vt ſapientiæ ſic eloquentię communis parens duos memorat, quos prę oculis habeamus ſi ſapienter diſerti eſſe volumus, Neſtorem & Vlyſſem. Ex illius ore melle dulcior oratio prodibat. Hic ad excidium Troianorum forte plus contulit lingua, quam Achilles gladio. Vtrumq; multiplici vſu in vita ciuili fuiſſe inſtructum animaduertimus, atq; adeò multum loquendo valuiſſe non miramur. Neſtor tres ætates exegiſſe, hoc eſt ad nonageſimum ætatis annum pertigiſſe dicitur (ętas enim triginta annorum ſpatio à Veteribus circumſcribebatur) ſenex, inquam, & canus fuit Neſtor; quia non niſi multa rerum obſeruatione ad ſapientiæ, & eloquentiæ regiam peruenitur. Vt verò in Vlyſſe haberemus vitæ ciuilis perfectum exemplar, vt ab ipſo diſceremus, qua ratione hominum concilianda ſit beneuolentia, pericula declinanda, hoſtium fraudes eludendæ, petulantia ingenia opprimenda, omnia deniq; agenda, vt per humanæ vitæ infidum mare rectum curſum tenentes, ad felicitatis portum pertingamus, vt vir tan

tus

tus nobis esset Magister ad sapientiam, & eloquentiam, integro poemate perscripta est fortunæ, quam ipsi contigit subire, varietas; quæ cum omnibus notissima sit, vos diutius non detineo, Auditores, vela orationis contraho, ad tuta silentij nauem subduco, & vobis, nisi maximè fallor, volentibus, & approbantibus; Eloquentiam consecuturo magna rerum cognitione, & multiplici vsu in vita ciuili opus esse pronuncio.

DE NOBILITATE. DECLAM. II.



Ophistarum mos est, quando de re aliqua suscipitur disputatio, vnũ amplecti, eiq; mordicus adhęrere, & cogitationem non extendere ad plura, quæ rem de qua agitur, constituunt. At qui grauiter, & sapienter versãtur in tractatione disciplinarum multa animo complectuntur, quorum facta inter se collatione, de tota materia pronunciant cum

fructu auditorum. Hoc omninò præscribendum mihi duxi de Nobilitate dissertationẽ habiturus. Non vnus apex ex hac re est arripiendus, & cum pertinacia retinendus, sed latitudo totius negotij aduocanda, vt hac ratione totum, de quo agitur, magis ac magis elucescat. Sed & illud, antequam de Nobilitate loquar, obseruari velim, longè aliter disputandum de ijs, quæ pendent ex instituto, voluntate, & opinione hominum, quàm fiat de ijs, quæ à natura ipsa absq; vlla varietate conformantur. Horum enim ratio longè certior, & quæ semper eodem modo habet; at institutorum humanorum fluxus desultorius, vagum est ingenium. Intendenda igitur acies est ad hanc varietatem, ne tempus & operam perdamus.

Breuiter nunc indicabo, ad quæ nam sit respiciendũ, quando de Nobilitate agimus. Fundamentum, cui tota moles Nobilitatis inædificatur, sunt res præclarè gestæ domi forisq;, sed magis foris, & præsertim in bello. Nam ab initio, qui cum laude se gesserunt in administranda Republica, in defendendo populo ne à potentioribus opprimeretur, qui

qui iustitia floruerunt in asserendis legibus, vt ab omnibus obseruarentur, ad totius ciuitatis salutem, & incolumitatem; qui operam dederunt, vt Ciues bene beateq; viuerent; qui homines ab agresti vita deduxerunt ad cultum, ad elegantem, & homine dignam viuendi rationem; illis magni honores delati fuerunt, auctæ dignitates, consensu demq; populi in magno splendore collocati. Sed longè potior ratio Nobilitatis fuit à rebus præclarè gestis in bello aduersus hostes, qui Tyrannos oppresserunt, qui latrones domuerunt, qui seruitutem, paupertatem, & alia mala à ceruicibus ciuium depulerunt, illi & viui & mortui maximis honoribus ornati sunt. Imò antiquissimi mortalium beneficijs maximis affecti cœperunt huiusmodi monstrorum domitores, quibus vitam, quibus incolumitatem debebant, tanquam deos colere, vt vel vnius Herculis exemplum satis superq; indicat. Hinc igitur colligo absq; rebus præclarè gestis vix reperiri nobilitatem, aut si reperiatur, eam ad modum imperfectã dici debere. Neq; aliquis dixerit illud dici nobile, quod quomodocumq; inclarescit, &

venit in ora hominũ. Nam quando Aristoteles Nobilitatẽ per εἶναι γνώριμον descripsit, nõ existimauit statim illum esse & debere dici nobilem, qui quomodocumq; γνώριμος & notus sit. Alioqui ille, qui tribus ab hinc annis mortuus est Neapoli ditissimus, qui sordibus, & euclionea parsimonia maximam vim pecuniæ corrasεrat, & ob eiusmodi sordes notissimus erat, vt propterea diceretur il gran Villano, fuisset nobilissimus.

Aristoteles verò voluit significare eum esse & dici nobilem & γνώριμον, qui rebus præclarè gestis inclaruerit, non autem alia quacumq; ratione nomen consecutus fuerit. Quæret aliquis, an vt quis dicatur nobilis sufficiat, quod magnam nominis gloriam consecutus fuerit? Respondeo, qui res præclarè gessit, & honoribus non est affectus, si strictè loquamur Nobilis non est, attamen quę gessit fortiter æquiparantur cuicumq; nobilitati, quam quis consecutus fuerit ex rebus pręclarè quidem gestis, sed non tam magnis. Nam magna illa opinio, & constans sapientum virorum de alicuius virtute non minoris facienda est, quam Nobilitas.

Acce-

Accedo ad alterum, quod requiritur ad constituendam Nobilitatem, vt quis scilicet non solum res præclarè gerat, sed etiam honoribus afficiatur à Republica, vel Principe. Huc potissimum respiciunt Iurisconsulti, quando agunt de Nobilitate, vt scilicet aliquis acceperit priuilegia à Principe. Exemplo res erit clarior. in Germania exactissimè obseruantur familiæ nobiles. nam descriptæ sunt diligēter in monumētis Ciuitatum, & vt vocant, Circulorum. iam quot sunt in vrbibus imperij liberis insignes viri, qui prudentissimè administrant rem Ciuitatum, qui tamen nobiles non sunt, etiam si familia ipsorum antiqua sit? Nam non est recepta inter nobiles.

Non dissimili comparatione idipsum probo. Sit aliquis natus ex antiqua, & illustri familia, qui tamen nauci sit homo, ineptus, aut vitijs obnoxius, iste certè non potest dici non esse Nobilis. Nam natus est ex nobilissimis parentibus, diuitijs pollet, quæ duo, vtcunq; & qualemqualē constituunt nobilitatē. Iste tamē si rem ipsā spectes, quæ maximè pēdet ex opinione hominum, æquiparandus est

igno-

ignobilibus. Quid enim prodest huic homini nobilitas, si nihili fit, si contemnitur, si vocatur degener, & indignus maiorum suorum claritate? in hanc rem non pauca legimus apud Iuuenalē in Satyra aduersus iactatores nobilitatis. Hæc duo, quæ iam recensuimus, licet sufficere videantur, vt quis Nobilis sit, tamen quia satisfaciendum opinioni hominum, qui illos, qui recens emerserunt virtute sua, & magnas dignitates consecuti sunt, homines nouos vocare solent, ideò ad Nobilitatem conficiendam accedat tertium necesse est, vt quis scilicet ex illis natus sit, qui res pręclarè gesserunt, & dignitates obtinuerunt. Itaq; quia habenda est ratio communis opinionis hominum, sic statuendum; hominū nouorum, qui claros maiores non habuerunt, imperfectam esse nobilitatem. Hoc tertium, scilicet natiuitas ex claris parentibus tanti est, vbi de Nobilitate agitur, vt quando quæritur quis sit Nobilis ferè respondeatur eum esse, qui natus est ex claris parentibus, qui claros habet maiores, & nobiles vocātur passim. hic iam video aliquem dicturum; si nobilitas est habere cla-

ros maiores, Princeps nulli poterit adimere nobilitatem; non enim potest efficere quò minus aliquis sit natus ex claris parentibus. Responsio facilis est. Nam vt quis sit Nobilis, & nobilitatis ipsius habeatur ratio, accedat auctoritas principis necesse est. Quid enim prodest habere claros maiores, si propterea quis excipitur ac ille, qui plebeios habuit? Verissimum est, vnum quodq; ita conseruari, vt acquisitum est, & vicissim per contraria illud ipsum amitti. Quia res pręclarè agendo aliquis inclaruit, & cœpit honorari, & recenseri inter proceres, ita si quis aliquid indignũ committat suo statu, si peccet in Principem, aut Rempublicam, poterit exui omnibus illis priuilegijs, quibus Nobiles prę plebeijs gaudent. Accedo ad quartum, & vltimum, vt opus sit diuitijs. ad tuendam namq; nobilitatem opus est splendore externo, opus est ita vitam traducere, vt in ędibus, vestitu victu, comitatu discrimen appareat inter, Nobilem, & plebeium opificem. At eiusmodi splendorem obtinere non possumus absq; diuitijs. Itaq; familię alioqui Nobiles dum ad paupertatem rediguntur, paulatim etiam

amittunt Nobilitatem hinc videmus non haberi rationem natalium in eo, qui iam vile opificium exercet, aut alioqui incedit, vt plebeius,& vitam tolerat tenui ratione: neq; eiusmodi homines admittuntur ad dignitates, quibus nobiles decorari solent. Repetimus quod paulò ante dicebamus: acquiritur nobilitas res pręclarè gerendo, obtinendo dignitates, splendidè viuendo, & eo modo, quo vti solent Nobiles, seiuncti à vili plebe: Ita quoq; si quis iam sordidè viuat, & more opificum, & opificium exerceat ob tenuitatem fortunę, ob paupertatem, sensim in ipso extinguitur Nobilitas. Vt verò omnium rerũ est vicissitudo, ita familiarum quędam olim clarę obscurantur, & quę erant obscurę, inclarescunt.



DE

DE IVBILÆO. DECLAM. III.



Vnquam mihi illorum consuetudo potuit placere, qui quotiescunq; agitur de Ritu aliquo Ecclesiastico, eius statim originem ad Gentium instituta reuocant, aut Iudæorum. nam hac ratione præbetur ansa Nouatoribus nos irridendi, quasi fateamur mores Ecclesiasticos Christianorum initium suum debere non religiosæ prudentiæ, & diuinæ auctoritati, sed inuentis humanis, aut peti ex ea lege, quæ iam sublata est. Et quod nostra instituta non debeant referri ad Iudæos, vel gentes, illud suadere videtur, quod cæremoniæ Iudæorum adueniente Christo euanuerint. nec enim vmbræ, & tenebræ locum habere queunt, vbi sol vndiquaq; radios suos diffundit. At disertè testatur D. Paulus, legem fuisse vmbram rerum futurarum. nec quicquam rerum sacrarum Gentibus imputandum est, quando pleraq; omnia, ex quibus

ſuperſtitio conflata eſt, incunabula ſua debent Dæmonum ſuggeſtioni, vt cuilibet ſingula percurrenti liquere facilè poteſt. Sic igitur cenſeamus; omnes res Eccleſiaſticas originem ſuam duxiſſe ab auctoritate diuina, aut prudentia Pręſulum religioſa. quod dum dicimus, non interim negamus eos, qui de Ritibus Eccleſiaſticis diſſerũt, poſſe in mediũ ea proferre, quæ apud Iudęos viguerunt, & Gentes, vt ea occaſione exerceatur eruditio, multiplex lectio oſtendatur, ex varietate rerum voluptas audientibus, & legentibus adferatur, ex ſimilitudine deniq; rerum, de quibus agitur, tota materia eleganter illuſtretur. Sic certè me gerere conſtitui in hac de Iubilæo diſſertatione, dum ſolemne Chriſtianorum hoc tempore inſtitutũ cum Iubilęo Iudæorum, cum ludis ſecularibus Romanorũ conferam. non quod putem Bonifaciũ Octauum rationem ſacræ lætitiæ ſumpſiſſe vel à Gentibus, vel à Iudæis, ſed vt comparatio hęc nos per multiplicem temporum, & rerũ notitiam deducat. primo itaq; aliquid dicam de Iubilæo Iudæorum, Secũdo de ludis Secularibus Romanorum; tertio deniq; aliquid

de

de Iubilæo noſtro Chriſtiano in mediũ proferam. Annus Iubilæus apud hebræos dicebatur à Iabal, quod ſignificat clangere. nam cum tubarum clangore promulgabatur, & denunciabatur ſolemne gaudium. hoc fiebat recurrente ſpatio quinquaginta annorũ, elapſo ſcilicet quadrageſimo nono, in principio quinquageſimi, clangebant tuba, & dicebant Sacerdotes; adeſſe annũ Iubilæum. in eiuſmodi publico gaudio fiebat rerum in republica Iudæorum non parua mutatio, quæ ad duo potiſſimum referri poteſt. nam omnes, qui erant ſerui, redibant ad libertatem. vnde colligere eſt obiter holam, æternum, apud hebræos non ſemper ſignificare id, quod nullum habet finem. nam de ſeruo, qui nolit aſſeri in libertatẽ dicitur, quod auris perforãda ſit ipſius, & ſic ſeruiat in æternũ. adueniente anno Iubilæo recurrebat libertas, & qui dixerat ſe ſeruum fore in æternum, non potuerat extẽdere eiuſmodi promiſſum vltra annum Iubilæum. Cæterum quæretis ex me, cur Deus potiſſimum voluerit intra eiuſmodi ſpatium redire omnes ad libertatẽ? ad quam quidem quæſtionem ſic reſpondendum

dum; puto. quotquot erant in Republica Iudæorum ciues erant, &, vt Scriptura loquitur, Fratres. hinc deus vetuit, ne quis fœneraretur inter fratres, inter ciues, cum tamen liceret fœnus exigere à Gentibus, & externis. quod si omnes Iudæi ciues erant, & socij in eadem Republica, repugnabat rationi ciuitatis vllum esse seruum. quia tamen multis de causis locum obtinuerat seruitus, vsus est hoc temperamento Deus, vt essent serui aliqui, sed vnusquisq; intra quinquaginta annos rediret ad libertatem, atq; adeò in tanta lætitia aboleretur omnis seruitus. cur autem locum haberet seruitutis conditio apud Iudæos, vt apud reliquas nationes, sunt istę quoq; causę. quia Moses voluit vnicuique licere seipsum vẽdere. præterea fures, qui restituere nequirent, plectebat, & ad seruitutẽ redigebat. omitto alias causas. par autẽ erat, vt rediretur tandem ad libertatẽ ad seruanda iura ciuitatis, & Reipublicæ Inter Romanos in bello ciuili ea de causa non fiebant serui, qui vincebantur, quia absurdum erat Romanos ciues fieri seruos. alteram causam, ob quã rediretur ad libertatem anno Iubilęo, illam

puto

puto etiam fuiſſe, quia ſeruitus contraria eſt naturę, vt rectè docent Iuriſconſulti. nam quod Ariſtoteles libro primo politicorum prolixè contendit ſeruitutem eſſe conſentaneam naturę, id ſic puto accipiendum, vt intelligamus non omnes natos eſſe eadem libertate, graduſq; in ea eſſe. hoc ſatis oſtendunt exempla, quę afferuntur de fœminis, quę ſcilicet natę ſunt parêre, & de quibuſdam hebetioribus, qui aptius obediunt, quam, vt vel imperent alijs, vel ſua ſponte viuant. quod ſi iſtis exemplis adductis Ariſtoteles velit probare, quoſdam natura eſſe ſeruos ea ſeruitute, de qua loquuntur Iuriſconſulti, profectò inferendum eſſet fęminas eſſe ſeruas, & omnes eos, qui non ſunt nati ad imperandum: aut regerendũ erit, iſta exempla, quę agunt de qualiquali ſubiectione nõ debere extendi ad ſeruitutem, qua ſeruus ita ſubeſt domino tanquam inſtrumentum aliquod licet animatum. ſed de ſeruitute nolo hic prolixius diſputare. Tertia ratio ſoluendæ ſeruitutis erat, ne confunderentur, & commiſcerentur tribus. vnuſquiſq; igitur redibat ad eam familiam, vnde digreſſus fuerat. nam

rat. nam

rat. nam per seruitutem transibatur ab vna tribu in aliam, prout dominium ferebat. notissimum est, quam anxij essent Iudęi in seruando ordine tribuum, vt propterea operosa commentatione conficerentur genealogię, quę à latinis vocantur stemmata. adeò autem eiusmodi labori addicti erant, vt Diuus Paulus, superuacaneas cum pleraq; iudicaret, monuerit discipulum, fugeret genealogias illas ἀπεράντας, de quibus vix quicquam certum statui tandem posset. interim non improbabat eas, si quis in illis non esset nimius. Transeo ad alteram mutationis partem, quę fiebat anno Iubilęo. nam tunc omnia bona, quę dicuntur immobilia, redibant ad dominum suum. Itaq; in venditione agrorum sic se gerebant Iudęi, vt venderet non tam agros, quàm fructus eorum annorum, qui elapsuri erant vsq; ad annum Iubilęum. hoc duplici de causa fiebat. primum vt seruaretur ęqualitas. erat imperium Iudęorum non Monarchicum, vt disertè testatur Iosephus, & obseruat Sigonius de Republica hebręorum; presertim antequam Rex eligeretur, ego ne quidem absolutè Monarchicum fuisse puto;

post-

postquam Reges fuerunt instituti, cum satis constet qualis esset potestas regia. Si igitur Respublica erat, debebat in illa, quantum fieri poterat, seruari ęqualitas. in rebuspublicis omnia referenda sunt ad ęqualitatem, & quicquid causa est inæqualitatis, suspectum esse debet. hæc causa est, propter quam ne quidē excellentem, & excedentem (ut sic dicam) virtutem ferre potuerint popularia imperia. amore etiam ęqualitatis nimio abreptus Plato omnia voluit esse communia in Republica. legislator Moses iussu Dei egregie consuluit æqualitati, vt interim habuerit rationē iustitiæ, quæ in distribuendo versatur, dum iussit ita vendi agros, vt tandem ad veterem dominum redirent. Sed præter æqualitatis rationem, ad reuersionem istam constituendam motus est Moses, vt sartatecta maneret diuisio illa Palęstinę, quę placuit tribubus ab initio, cum regionem ingrederentur. non debebant igitur agri vni tribui attributi, transferri ad aliam. Hinc quæsitum est, an fœminę possent viris nubere extra tribum, & videbatur id negandum, quia agrorum translatio non debebat fieri. responsum est, posse quidē

eas nubere, modò dotis instar aliud acciperent, quàm agros. habetis quæ mihi venerunt in mentē de anno Iubilęo Iudęorum. Transeo ad ludos Sæculares Romanorum. Zosimus putat institutos fuisse ad auertendam pestem ab Vrbe Roma. & peractis sacrificijs desijsse sęuire luem. affert idem carmina sibyllæ, quibus præscribebatur tota ratio celebrādi ludos illos. nec vllus putet, quia ludi sęculares dicti sunt, ideò recurrisse centesimo quoquo anno. nam sibylla disertè iubet celebrari postquam centum, & decem lapsi fuerint. decem igitur anni non obstiterunt, quó minus seculares dicerentur. Idem Zosimus, quia addictissimus erat gentili superstitioni, conqueritur de omissione eiusmodi ludorū, & sacrificiorum. & putat ideò perijsse rem romanam, quod Romani desierint per eiusmodi ludos rogare deos pro incolumitate Romani Imperij. hæc enim præcipua erat causa, propter quam edebantur ludi, vt scilicet preces funderentur pro maiestate vrbis Romę, vt numen perpetuas victorias largiretur. Cæterum si ideò perijt imperium Romanum, quia ludi fuerunt omissi, quæro cur durauerit

rit etiam sub Constantino, Iouiniano, Valentiniano, Theodosio? præterea cur Iustinianus, quò nullus fuit magis alienus à superstitione gentium, tot victorias de barbaris reportauit, & Vandalos expulit Africa, Gothos Italia? certè floruisse imperium Romanum tempore Iustiniani negare non possumus. & tamen tam diu antea omissi fuerant ludi. In ludis illis recitabantur carmina quædam, & preces à pueris, & puellis patrimis, & matrimis. nam in templo aduerso ordine consistentes respondebant sibi inuicem. Cùm Augustus celebraret ludos, iussit Horatium carmen seculare conscribere, quod satis constat hac ratione fuisse recitatum. hæc ratio est, propter quam idem commendat poësin, quia scilicet poëtarum est conscribere carmina, quæ in laudem Deorum recitantur. vt verò omnes lubentius confluerent ad ludorum celebrationem, edicebatur ferè in hæc verba: *Venite ad ludos, quos nemo vestrum vidit, nec visurus est*. Heu fluxam humanæ vitæ breuitatem. hic mihi videor videre potentissimum Persarum Regem Xerxem flentem, cum conspiceret trecenta millia egre-

giorum militum. doluit post centum annos nullum ex tot hominibus fore superstitem: sed ad rem nostram redeo. Claudius Imperator vano quodam gloriæ desiderio passus est se abripi, vt non exactis centum & decem annis, vt monebant carmina sibyllina, ludos celebraret. nam excurrerant tantum sexaginta quatuor anni, ex quo Augustus eos ediderat. hunc errorem Claudij cum animaduertisset Domitianus, stato tempore eos renouauit, & tunc in dignitate erat constitutus Tacitus, vt de seipso testatur. Venio ad vltimum, de quo dicere proposueram. Anno trecentesimo post millesimum Bonifacius Octauus, centesimum annum celebrẽ reddidit largiendo ndulgentias (vt vtar vocabulo Ecclesiastico) maximas adeuntibus Basilicas Apostolorum. eum tamen annum Iubilęum non vocauit. successor Bonifacij Clemens sextus hoc nomine vsus est, credo ea de causa, vt respiceret Iubilęum Iudęorũ, quo pręfiguratus quodammodo fuisset noster, vnde etiam quinquagesimum solemnẽ voluit esse, nec existimauit ad alterum centesimum sacram liberalitatem differendam.

Sed

Sed quęretis an existimem Iubilęum nostrū pręsignificatum fuisse à Mosaico? id enim videtur affirmandum, quandoquidem sic existimauit Clemens Sextus. Censuerim sic respondendum, figuram aliam esse generalem, aliam singularem: generali figura quicquid boni est in noua lege, pręfiguratum fuit à veteris legis institutis. Et sic Mosaici anni lętitia fuit signum omnium bonorum, quę accepturi eramus per Christum, atq; adeò etiā anni Iubilęi, cuius initium refertur ad Bonifacium. at si quęramus an singulari ratione, & propria annus ille Mosaicus significarit nostrum; videtur id negandum. nam cur vsus eius dilatus est ad annum vsq; millesimū trecentesimum? cur Christiani veteres non animaduerterunt euismodi significationem? Cur Bonifacius centesimum iussit esse sacrū, non quinquagesimum? satis apparet Bonifacium vix cogitasse de Mosaico. sed rursus quęretis; cur figuram Clemens sextus potissimū ponit in quinquagesimo? Certè per euismodi numerum indicare, est singulari ratione significare, non tantùm generali: Respōdeo, Clementem sextum nixum fuisse gene-

rali ratione cum quadam similitudine singulari numeri quinquaginta annorū. Cęterùm, vt ad consilium Bonifacij octaui reuertamur, quæstio est grauis, an vllæ essent per curriculum centum annorum indulgentiæ expositæ ijs, qui adirent Basilicas Apostolorum ante Bonifacij octaui tempora? id enim videtur negandum, quando tantæ rei altissimum est silentium in omni veteri historia Ecclesiastica. Inuolutus ne esset tenebris cōcursus mortalium Romam centesimo quoquo anno lætitiæ sacræ causa? Incredibile id videtur. præterea Indulgentiæ illæ, quę expositę sunt inuisentibus Basilicas Apostolorum in vniuersum videntur ignotę fuisse antiquis. quomodo igitur per recurrentia secula dabantur? addite, si veteri more centesimus quisq; annus sacer erat, cur Clemens ad quinquaginta rem totam deduxit? quę quamuis sic proferantur, non est negandum, quod affirmat Bonifacius octauus, & multi alij, nimirum ex fama veteri constare magnas Indulgentias exponi inuisentibus Basilicas Apostolorum. aiunt etiam tempore Bonifacij adfuisse senem ex Gallia, qui testatus

sit, au-

ſit, audiuiſſe ſe ex patre ſuo, quod magnę Indulgentię dentur illis, qui quoquo centeſimo anno Romã adeant. Solitos etiam Chriſtianos itare ad Confeſſionem S. Petri, notiſſimum eſt ex Euſebio, Chryſoſtomo, alijſq; Indulgentiarum ſuum fuiſſe vſum in veteri Eccleſia iampridem oſtenderunt Catholici ſcriptores ex Tertulliano, Cypriano, alijſq; aduerſus huius temporis Nouatores. fateor concurſum mortalium non fuiſſe adeò ſolemnem, nec adeò notum, vt poſtea apparatum à Bonifacio octauo accepit. Põtifices aliquãdiu abfuerunt Roma; exhauſta eſt Italia bellis, & morbis. deuaſtata à colluuie Barbarorum, & ad ſolitudinem prope redacta. Quid mirum ſi non ita fuit locus lætitię? Quod verò Clemens ſextus ad quinquaginta annorũ ſpatiũ rem deduxit, imò Vrbanus ab triginta tres, & tandem alij ad vigintiquinq;, id potuit fieri. nam cõſuetudinis ſacrę ratio ea eſt, vt immutari poſſit, vt ſexcentis exemplis oſtẽdere poſſem. Et quis neſcit etiam nonnulla, quę Apoſtolis in vſu erant, in quibuſdã aliquatenus fuiſſe immutata? ſatis igitur fuerit noſſe Indulgentias ſacras ex perpetua Eccle-

ſiæ con-

ſtæ conſuetudine eſſe, rationem autem eas conferendi, non ſemper eodem modo obſeruari. hęc ferè ſunt, quę in hac temporis anguſtia inciderunt in meam mentẽ. vos qualiacumq; ſunt, ea boni, & æqui conſulite.

DE CAVSIS RVINÆ IMPERII ROMANI. DECLAM. IV.



DE cauſis, propter quas ruit imperium Romanum, mihi ſermo erit, Auditores; ſermo de re ardua, intricata, periculoſa, ſed voluptatis plena. Si tamen voluptas eſſe poteſt in eo, quod audiendum Romanorum Imperium, quod ſalutare erat humano generi, concidiſſe. Antequam ad enumerandas ipſas cauſas deſcendo, quædam mihi pręmittenda, ſine quibus in tota tractatione infeliciter verſaremur.

I. Non vna cauſa ſingulatim deſtruxit imperiũ, ſed plures iunctim. quod niſi obſeruauerimus, facillimè oppugnabimur, quotie-

tiescunq; voluerimus indicare, quid fuerit illud per quod perijt imperium. Ouidius ait:

Et quæ non prosunt singula, multa iuuant.

Sic ego. *& quæ nõ obsunt singula, multa nocent.*

II. Causę istę non statim vim suam exeruerunt. nam tam vasta moles nõ potuit derepente concidere. Itaq; non est negandum hanc vel illam fuisse causam, quia ad ipsam non subitò secuta est ruina. antequam corruat domus, paulatim temporis iniuria, labefactantur fundamenta, columnæ debilitantur, imbres muros perpluunt, superuenit tandẽ magna vis ventorum, & sic domus corruit.

III. Coniunctio, & concursus tot causarum non fuit opus nec diligentiæ, nec negligentiæ humanæ. Clarius loquar. hæc vel illa causa singulatim potuit esse, & fuit ab hominum vel diligentia, vel negligẽtia. at quod tam multa conspirarint, hoc opus fuit causæ superioris, occultæ, cuius vim auertere nemo potest. hanc causam vulgus scriptorum, & sermo quotidianus fortunam voluit vocare. Petronius descripturus bella ciuilia Romanorum, & causam tot malorum, confugit ad hanc fortunam, quæ cum nollet ferre diu-

tius magnitudinem Romanam, euocauit ex inferis discordiam, quæ diuisit animos Cæsaris, & Pompeij. sic

Factum est in terris quicquid discordia iussit.

Nos causã supremam, quæ nihil patitur esse perenne nullã agnoscimus præter Deum. His præmissis accedo ad recensendas causas, quarum.

Primam fuisse siderum vim maleficam censuit Zosimus. Lucanus libro 1. de bello Pharsalico, vt doceat, vnde profecta sint bella ciuilia, tam multa scribit de sideridus. signa Veneris, & Iouis hebebant. Mars & Saturnus regnabant. Existimauit igitur Lucanus non absq; vi malefica siderum calamitates prouincijs immitti. Florimundus Remundus descripturus causas hæreseos lutheranæ ita ait fuisse cœlum constitutum, vt subsecuturæ essent mutationes magnę, & turbæ religionis causa. nam eodem tempore Ismaelem sophum Regem persarum innouasse in oriente in religione Mahometana. Vir doctissimus Landinus ad Dantẽ notat fieri mutationes rerum humanarũ à fortuna ob stellarum influxũ. hæc ille protulerit, qui putaret

ret non esse omnino absurdũ, quod Zosimus causam ruinę imperij Romani ait fuisse sidera. at ego non tanti fecerim ipsius iudiciũ, vt pro siderum influxu velim pugnare.

II. Causa videtur fuisse dissidiũ ob religionem. Certissimum enim est omnia imperia debilitari ob dissensiones intestinas. at nulla maior, & acerbior esse potest, quã quæ ob religionem oritur. Quot clades accepit Gallia à suis, tantum quia dissidebant in religione? neq; potuerunt quicquam gerere apud exteros ea de causa. Heluetij formidabiles erant olim, sed postquam noua religio rempublicam illam inuasit scissis variè studijs diminuta est ipsorum potentia, & fortitudo. Inter Persas, & Turcas nunquam potuit conuenire ex quo cœperunt de Religione altercari. sic quiescit Europa ab armis Turcarum, quæ alioqui in tot bellis Christianorum Principum omnia possunt obruere. Quis neget factam fuisse magnam animorum diuisionem, postquam plurimi susceperunt Religionem Christianã ob tot insignia miracula diuinitus edita? Hinc verò Gentes non poterãt adduci vt relinque-

rent patrios ritus, & mores in colendis dijs. ſic certatum per tria ferè ſecula. cùm igitur diſſiderent ab religionem, fiebat vt diſſiderent etiam conſilijs in defendenda, & conſeruanda maieſtate Romana.

III. Habebant Romani ad ripas Rheni, & Danubij multas copias, quæ impedirẽt, ne Barbari poſſent fluuios illos tranſire, & eſſe moleſti Romanorum terris. nam Romani contenti erant illis, quæ hactenus occupauerant. neq; putabant eſſe operæpretium ſyluas, & caſas barbarorum incolere. hæc cauſa fuit propter quã etiam Auguſtus reſtringere cogitauit imperium. nam quid proderat cõterere legiones in rebus nihili? placuit conſilium Auguſti Diocletiano, qui cuſtodes poſuit ad limites Barbarorũ, ne ſe effunderent. iſti milites remoti ſunt à Cõſtantino, ſi credendum Zoſimo. nam cũ Zoſimus fuerit infenſiſſimus memoriæ Magni Conſtantini non puto temere illi habendam fidem. ego refero quæ legi. veſtrum erit ſingula expendere, & priuatim etiam mecum conferre. Sublatis iſtis (ut ſic dicam) limitaneis militibus, non eſt mirum ſi Barbari cœperunt

excurrere in terras imperij Romani.

IV. Romanum imperium cœpit indigere ad bellum gerendũ externis militibus, qui tandem illud ipſum imperium perdiderunt. Alexander Magnus in bello contra Darium, cum vidiſſet valde eſſe diminutum exercitũ,iuſſit conſcribi alios milites in græcia,quia externis non fidebat. in Hiſpania res Romana fuit adducta in magnum diſcrimen, quia plures erant Cantabri inter auxilia Romanorum, quam eſſent ipſmet Romani. notiſſimũ eſt ijs,quibus notæ ſunt hiſtoriç,quod plæriq; omnes, qui in auxilium vocati ſunt, tandem eos ipſos, quibus ſuppetias tulerant, aut ſubiugarunt, aut expulerunt. ſic ſe geſſerunt Normanni cum Græcis in Apulia, Calabria,Sicilia. Scio S. Auguſtinum referre ad gloriam Romani nominis, quod Gothi offerẽt auxilia aduerſus alios Barbaros. ſed viciſſim notum eſt illos ipſos Gothos auxiliares regnũ condidiſſe in Italia, atq; adeò præcipuam prouinciam ab Imperio auulſiſſe. Si Romani eo numero, eo animorum ardore coluiſſent militiã, vt olim, non indiguiſſent ope Barbarorum, atq; adeò non accepiſſent

tandem

tandem ab illis ipsius leges.

V. Dixi superius dissensionem ob religionem fuisse causam, ob quam rueret imperium Romanum, & locutus sum de dissidio inter gentes, & Christianos. nunc addendum quod postquam cœpit ruere imperium, aut saltem postquam desijt habere tantum robur, superuenerũt dissidia inter ipsos Christianos. post mortem Constantini inter tres fratres diuisum est imperium, quorum Constãtius fauebat Arrianis. Hoc negotium quot turbas dedit? præterea Romani vsi sunt opera Gothorum; at hi erant Arriani. Sic vbiq; & in ipsa Italia in singulis vrbibus duò erant Episcopi Catholicus vnus, Arrianus alter. Cùm imperator in oriente nollet ferre Arrianos, Theodoricus Rex Italiæ Arrianus, dixit se Catholicos Italia exacturum. sic Imperator coactus est ferre Arrianos in Oriente, ne Catholici Italia pellerentur.

VI. Causa dicitur fuisse translatio sedis imperij Constantinopolim. sic censet I. Lipsius in libro de magnitudine Romana. & scio etiam ab alijs inter causas ruinæ Romani Imperij translationem hanc recenseri. Lipsius

psius simpliciter affirmat translationem fuisse causam propter quam ruit imperium nobis indaganda est causa, propter quam ista translatio adeò obfuit. Debebat Romæ degere imperator, si volebat esse imperium Romanum incolume. nam à Germanis imminebat potius calamitas, quàm à Parthis. salua Italia, & Roma facilè retundi poterant Parthi. procul erant. diuisi erant mari. non apti erant ad gerendum bellum in longinquis locis. pollebant tantum equitatu. non opus igitur erat imperatorem accedere propiùs ad eos reprimendos. At opus erat præsentia Imperatoris in Italia. quia Germani erant admodum vicini. innumeri erant. acerrimi erant. infensissimi Romanis ob memoriam rerum præteritarum. alliciebantur amœnitate regionis, cum septentrio suaderet migrare; loca frigida, & inculta relinquere. etiam ipsum cœlum Italię videbatur aptissimum proferendis hominibus aptis ad imperium, & militares labores, vt egregiè disserit Vitruuius. Laude tamen non caret imperatoris pietas, si, quod aliquibus placet, ideó transtulit sedem imperij, vt cederet Pōtifici

tifici Summo rerum ſacrarum arbitro.

VII. Electione deferebatur imperium Romanum, quia opus erat homine, qui haberet magnum vſum rerum, & militari laude eſſet inſignis ad reprimendos tot hoſtes, ad continendas tot prouincias in officio. At poſt obitum Theodoſij non ſimplici vice peccatū eſt diuiſum eſt imperiū. at omnis diuiſio debilitat vires. ſucceſſerunt iuuenes, ne dicam, pueri qui, acceperunt Tutores, qui ipſi adſpirabant ad imperiū. hinc bella. hinc vocati Barbari. hinc omnia ſurſum deorſum verſa. hæc habui, quæ de cauſis ruinæ Romani Imperij proferrem.



DE

DE PRÆSIDIIS MEMORIÆ. DECLAM. V.



Emoriæ tantus est in re litteraria vſus, vt maior fingi nequeat, Auditores. ſiue publice: ſiue priuatim in ſermone familiari aliquid ſit proferendum, à memoria id repetamus oportet. quæ ſi promptam ſe non præſtiterit, omnem fructum ſtudiorum noſtrorum amitti exiſtimamus. quid enim profuerit multa legiſſe, multa obſeruaſſe, quibus tamen in rem aliorum, quãdo ſe obtulerit occaſio, vti nequeas? tantum certè vnuſquiſq; videtur ſcire, quantum memoria tenere, reipſa & manifeſtis argumentis deprehenditur. nam falluntur illi, & toto cœlo errant, qui tunc putant à ſe partes ſuas præclarè impleri, quando ſibi ipſis cecinerint, applauſerint, & domi latendo, aut foris ſilendo, ſe multarum rerum cognitione eſſe inſtructos cogitauerint. At quid quæſo aliorũ intereſt, multane tibi ſint lecta volumina nec ne, multane ſcriptitando corra-

 ſeris,

ſeris, quæ qualia ſint, quamq; monetam tinniant, hactenus coguntur ignorare? Plane ſuffenus ſibi ſit oportet ille, qui ſuorum laborum teſtẽ vnicum putat eſſe debere conſcientiam. At ſunt, qui memoria quando vident ſe non valere, deſpondent animum, Muſis ſibi res ſuas habere iubent, libros alia ſupellectile commutant, quin ipſam horam, qua literas cœperunt tractare, memoria refugiunt. Ab his deplorari ſuam in ſtudijs infelicitatẽ audies, tantũ vt temperent à lacrymis. Quid quæſo his, & illis faciemus Auditores? An licebit vnis per nos eſſe ſecuris, alteris triſtibus, & meticuloſis? Abſit hæc à nobis negligentia, abſit alienæ ſalutis contemptus. Quinimò ſic primos vellicabimus, vt ſecundos in præſentem ſpem erigamus. id non aliter efficiemus, quam ſi vobis fauentibus aliquid in medium, de duplici memoriæ præſidio protulerimus. Et licet primum eiuſmodi ſit, vt; ſi deſit, diligentia hominum parari nequeat; non tamen operæ amittemus pretium, ſi de illo locuti fuerimus, vt vnuſquiſq; prius in ſeipſum deſcendat, & quicquid eſt viriũ exploret, antequam de ſua imbecillitate pronuntiet.

nuntiet. Ita profectò est, Auditores, nihil vnquam laude dignum præstiterit ille, qui naturam nõ habeat præeuntem, quã sequatur, à qua excitetur, prouocetur, quę vestigia figat. inuitam naturam quisquis in suam sententiá trahere nititur, sisiphi semper redeuntem laborem in memoriam nobis reuocat. Primus hic est ad res præclarè gerendas gradus ingenij sui vim nosse ingenitam, nosse quò inuiteris, ducaris, & tantum non impellaris propensione suaui. Ex hac difficultate noscendi vires suas, quas natalis hora suflecit, quisquis eluctatus fuerit, ex alijs, quæ deinceps sequi solent, se posse euadere sibi spondeat, audacter. Duplex igitur cum sit animæ vis, ad tractandas disciplinas quæ reddit aptos, ingenium scilicet, & memoria, duplex etiam esse disciplinarum genus ausim affirmare, ita tamen, vt cum sophistis, si qui sint, de hac re contentionis funem diu reciprocare nolim. nam crassa Minerua nonnulla quandoq; prę sumimus, quæ vtilitate non carere res tandem ipsa docet. Est quædam studiorum ratio, in qua, vt sic dicam, vtramq; paginã implet aut Dei, aut sapientũ virorũ auctoritas,

aut etiã Principũ iussa. In his recitare sententias, referre testimonia rem prope totá feliciter conficit In quibus auctoritas rationem, non ratio auctoritatem metitur. Et vsurpare Pythagoricum: Ipse dixit, bona fide licet. nam quãdo aut Numen, aut Numinis verissima imago Prĩceps, aut sapiens loquitur, Quis dixerit, nosse iuuat, non quid dixerit laboriosa disquisitione rimari decet. at illa rerũ cognitio, quæ causas expiscatur, quæ nihil admittit, quod ratiocinãdo ita se habere non ostenderis, cuiuscunq; hominis licet potentissimi auctoritatem ignorat, nihil, quod ratio non extorserit, largitur. quod si prouidam rerum parentem in consilium vocemus naturam, ad prius disciplinarũ genus memoriam, ad alterum ingeniũ facere illicò pronunciabit. nam vbi argumentationibus solis est locus relictus, vbi phalanx rationum, tanquam

pede pes, densoq; viro vir

pugnat, & locum tuetur, quis non animaduertat aptissimam esse mentis illum vigorem, quo præditi plurima in omnem partem excogitamus, in omnem formã nos vertimus,

timus, ad vtrumq; diſputando parati? Hanc aciem qui non poteſt adferre ad concertationes ſerias, rebus ſuis optimè conſulet, ſi illa ſtudia ſuſcipiat excolenda, in quibus ingenioſæ ſubtilitatis non tanta habetur ratio. ſcimus, Auditores, & lubenter profitemur ad vtrumq; ſtudiorũ genus eſſe & ingenij, & memoriæ afferendum pręſidium; at viciſſim neminẽ putamus fore, qui neget memoriæ cum auctoritate, ingenio cum argumentatione melius, quam vice mutata conuenire. in ſacris literis qui ſe excercẽt, aut leges Romanorum qui interpretantur, ingenio indigere largimur, & qui philoſophiæ incumbunt, teſtimonio magnorum ſcriptorum deferre contendimus, quod memoria teneant; at illi tandẽ in auctoritate ſi conquieſcunt, hi vel magni Stagiritæ effata examinare putant ſibi licere. in ingreſſu ergo ſtudiorum, Auditores, quid largiori manu nobi dederit natura exploremus ingenium ne, an memoriã, vt maiorem aptitudinem diuerſitate ſtudiorum propoſita adferamus ad illa, in quibus operam non perditum iri exiſtimemus. vt verò ingenitam vim nouerimus, à Medico-

rum

rum filijs hoc discamus oportet. In quibus magnus est calor,& igneus vigor, illi acumine, & celeritate ingenij polleant necesse est. At quos fluxa humoris copia occupat, nec bona possunt esse memoria, nec ingenio. vt id quod inuenimus ipsi disserendo,aut didicimus legendo, aut ab alijs audiuimus, cōdamus feliciter, humor non minus calori respondeat opus est,vt alterutrius nimia copia obsit. nam nec arida valde quæ sunt figuras facilè suscipiunt, nec quæ fluunt,quæ impressa fuerint,repręsentant. Quid enim in aliquo ligno exucco, & ferè cinefacto effingemus? Et ridebimur si scribere in aqua fuerimus visi. Sic & vis excedens caloris, & fluens, & aquea cerebri conditio memoriam excludit. Sic senes, quod sicco sint capite, non recordantur. vicissim facile dediscimus, quę pueri memoria mandauimus,quando in illa ętate nimius est humor. sed dicetis, an igitur in senibus tantus est calor, quando obliuio eos subit illorum,quę viri nouerant? Atqui confectis senio

Frigidus obsistit circum præcordia sanguis.
sed in promptu est responsio, Auditores. nam

in quibus humor, qui à Medicis radicalis vocatur, vocabulo si non adeò latino, at significante clarè quod volunt, in quibus; in quam, humor, aut superatur, & exuritur à calore, exigua memoria sint prędití necesse est; aut etiam in quibus consumptus est, &, vt sic dicam, longo tempore decoctus (nam quis nescit quod

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet?) vt in senibus, illi paucorum meminisse possunt. pro vt ergo vnusquisq; viderit se vel ad calorem, vel ad humorem accedere, ita de ingenij, & memorię modo poterit statuere, & consilium ad studiorum genus capere. euasi tandem ex molesta Medicorum semita, & ex diuerticulo in viam orationis regiam reuertor, adque pręsidium memorię alterum accedo tractatione iucundius. Quotusquisq; enim est, cui natura adeò fuerit nouerca, vt si niti velit excolendo, quę accepit, mediocriter nō sit profecturus, & eò, quò nunquam sperasset, peruenturus? Conatuum humanorū tanta est vis, vt plurima corrigamus, & in eos euadamus, qui nos ipsos vicisse, & supra omnem expectationem egregiè cum omniū admira-

miratione dicamur. ſcio non omnibus licere, quod dicitur, Corinthũ proficiſci, at viciſſim non ignoro virtuti, ſollertię nullam viam eſſe inuiam, audacibus cœptis omnia impedimenta perrumpi, & ardua pertingi. ſed propius accedo ad memorię adminiculum, quod ne vos diu morer, exercitationem appello, quæ quia multiplex eſt, quomodo nos in re tanti momẽti gerere debeamus accipite: Auditores humaniſſimi: eo ordine, quem illud antiquorum faſceatim vobis pollicetur. An ſcriptio memoriæ ſit vtilis res non adeò eſt explorata. nam Druides non ferebant, vt verſus quos tradebant ediſcendos, literis mandarentur, ne diligentia in perdiſcendo remitteretur. ergo quod audiuerant a magiſtris iuuenes, reuoluebant animo ſæpius, vt firmiter animo hærerent. at memoriam ſcribendo iuuari, vſus docet, & exempla firmant inſignium virorum, qui magnorum auctorum integra volumina tranſcripſerunt, tantum vt memorię conſulerent. ſunt etiam, qui putant plus memoriæ commodare vnam ſcriptionem, quam decies repetitam lectionem. prudenter interim ſe gerebant Galli doctores,

res, quando scripta iuuenibus non tradebant, ne quod semel chartæ credidissent, deinceps neglectum in tenebris iacere sinerent. aliter de iuuenili ætate, aliter de consistente loquimur. nam viri non id habent otij, vt tempus memoriæ mandandis libris traducant. quinimò se commentatione, scriptione exerceant: dum insignia dicta clarorum hominum suis dissertationibus inserũt, & non vno loco illustrant & interpretantur, paulatim pleraq; ita habebunt familiaria, vt sponte sua sint præsto futura, quando vsus postulauerit. adolescentes autem, quorum ingenium nondum est par libris scribendis, quæ ab alijs cum orbe literario communicata sunt, sæpius repetant, & memori animo infigant. sed, vt ad scriptionem redeam, incomparabilis vir Diuus Thomas Aquinas gloriabatur se duplici ratione pertigisse ad doctrinam, scribendo, & cum alijs disserendo. Annon ille Aristotelis scripta memoriter referre, aut saltem ex illis multa potuisset depromere, qui diuini hominis omnia prope monumenta commentarijs explanasset? Hospes scilicet fuisset in disputationibus.

Hipponẽsis Antistitis, cuius testimonio suam sententiam tertia quaq; pagina firmare consueuit? ignorasset diuina oracula, qui maximam operam in ipsis explicandis posuisset? breuiter dicam: non poterit non plurima recordari is, qui plurimis lumen scribendo impartiri sategerit. quod si commentationis in scribendo difficultatẽ causati fuerint, quæram an tam arduum sit plurium scriptorum dicta de eadem re inter se conferre? hactenus, vt eiusmodi collationes in tuo musęo lateant, aut nonnisi vnius, atq; alterius ex numero amicorum oculos subeant? nec res tanta ingenij felicitate indiget, vt quis varias obseruationes ad celebriores libros ex aliorum scriptorum non absimilibus locis moliatur. quæ omnia mirum est, quantum rem memoriæ sint prouectura. quod si remoretur diligentiam tuam in scriptione ea dictorum varietas, præsidium ab eloquentia petas fas erit. quid enim? an vt bona fide in alicuius quæstionis disquisitione versari censearis, totidem verbis repræsentandum erit, quod ab aliquo scriptore pronunciatum fuerit? recens hæc est literatorum supersti-

tio.

tio: recentium hominum vanissimus metus. si cum Veteribus, quos sapientes fuisse nemo it inficias, sapere volumus, rem ipsam tenere satis erit, modò suppetat id orationis lumen, quo in lucem eorum sententiam, insuper habitis verbis, proferre queamus. Veteres, quorum exemplaria ad nos peruenerunt, aut nunquam, aut rarissimè verba aliorum occupant. & tamen frequenter ad Veterum auctoritatem tanquam ad sacram anchoram confugiunt. nonne Platoni cum sui seculi hominibus doctis res fuit, quorum libri in manibus erant? procul tamen fuit ab eo, vt assutis lacinijs purpuram suorum dialogorũ oneraret. Aristoteles tribus verbis, quid alijs visum fuerit, docere fuit contentus. nam excerpere, certo ordine collocare aliorum dicta si laboris est, parum aut nihil habet ingenij: longè integrior est oratio, si ab vno parente accipiat pulchritudinis suæ naturalem splendorem. quid molestius est, quam per salebras diuersorum auctorum frangere gradum, huc illuc excurrendo se defatigare? Epistolas, opuscula Senecæ cum lego, cum Seneca magno philosopho, magno oratore me

loqui ſcio. Iuuat ab vnius ore pendere, non tot fragmenta variorum hominum colligere. at quia de exercenda memoria ſermo mihi eſt, Auditores, illud Pythagoricorum inſtitutum commendat Cicero, quod ſub veſperam diligenter meditarentur, quæ interdiu contigiſſet vel legere, vel diſſerere. voluptatis pleniſſimum opus, & exactæ diligētiæ certiſſimum argumentum poſt lapſum diei ſpatium a ſeipſo rationem exigere, penſum repetere, quomodo tranſegeris tempus exquirere. nempe quod faciunt illi, qui in Religione progredi volunt, nobis imitandum, Auditores, in vita ſtudioſa: vt lumina ſomno antequam declinemus, quid præterita die bene, quid ſecus egerimus, reuoluamus. illud vnum addendum puto, ne prolixitate moleſtiam pariam, vt lectio noſtra non ſit deſultoria, non inconſtans, non per omne genus librorum. ſcio delectari ingenium humanum varietate. at prudentis viri eſt tantiſper tædium deuorare, vt manſura & ſolida voluptas ad labores cōſequatur. exclamat Seneca, & ego cum tanto viro ingemino: *Non multa, ſed multum*. Aliquot præci-

puæ

puæ notæ scriptores qui nocturna versauerit & diurna manu; illos qui fecerit suas delitias, cum quibus amet sentire, loqui; quos miretur, quos, quantum fas est, imitetur; à quorum sententia non discedere in animũ induxerit; annon memoriæ quæ magis memoratu digna sunt, semper præstò habebit? Instar plurimorum erunt pauca, si sint rebus nostris idonea, si pro lubitu proferri à nobis queant.

DE TRIPLICI CATENA. DECLAM. VI.



E triplici catena mihi erit sermo, Auditores; isq;, vt puto, non admodum expectatus. ea namq; coniungam catena dissertationis, quę cui voluerim connectere si quęratis, nihil respondere potero, præterquam quod fortuitæ cogitationi indulserim. at si patiamini, catena vinctum ingenium ad egregia, & sublimia transferam; & quæ vos detineant nisi maximè fallor, cum magna

voluptate in medium adducam. De triplici catena loquar Homerica, Herculea, & Paulina. Homericam voco eam, quam nobis descripsit, & finxit magnus Homerus. Dicit namq; quod Iupiter vinxerat omnes deos, & deas, eosq; ita vinctos catena aurea suspensos tenebat in aere, adeò vt absq; nutu suo nihil possent moliri. quid per eiusmodi narrationem sibi voluerit poeta, vt explicetur; varia possunt dici. & quidem quandoquidem stella Iouis illa est, quæ hominum animos facit aptos ad conciliandam aliorum beneuolentiam, ad ineundas amicitias, ad humanitatis officia præstanda, rectissimè diximus per auream catenam significatam vim illam suauissimam, qua homines seinuicem benefaciendo deuinciunt. quod si regeratis, quærendo cur Homerus deos, & deas dixerit fuisse vinctos, non verò homines, promptum erit respondere, quod homines mutua beneuolentia coniuncti optimè dij vocentur. nulla namq; re propiùs acceditur ad diuinitatem, quam de alijs benemerendo. Illi profectò qui antiquissimis temporibus obtinuerunt diuinos honores fuerunt homines,

qui omnium animos ope beneficiorum sibi alligare sategerunt: at cur fingit Homerus istos vinctos catena fuisse suspensos in aere? & pendulos per inania detentos? cui quidẽ interrogationi sic puto satisfaciendum, vt existimem voluisse Poetam per eiusmodi suspensionem in aere indicare homines benignitate præstantes iam non humi repere, sed surgere supra humanam conditionẽ, & gaudere cœlestibus auris. & dicuntur illi penduli hærere cœlitus vincti, quia beneficentiæ qui studet, diuina quadam ratione ad id præstandum mouetur. nec enim, vllo commodo humano impellitur, sed solo virtutis diuino amore. scit namq; se natum, vt cœlum patriam suam esse meminerit. illius causa in perpetua cogitatione, de alijs sibi adstringendis versatur. sed videamus an aliter explicari, & enodari possit catena aurea Homeri. illud non absurdum fuerit dicere nihil esse aliud istam catenam, quam connexionẽ omnium causarum à causa prima. & ipsi poetæ summi Dei vim agnouerunt in producẽda, & conseruanda hac rerum vniuersitate. Orpheus ex eorum numero, qui Theologis

dice-

dicebantur, id testatus est, quod scilicet deus hæc omnia effecerit. Homerus Iouem, patrem deorum, & hominum; Virgilius, diuûm patrem, atq; hominum regem appellarunt. quod si dicatis etiam Oceanum ab eodem Homero vocatum fuisse deorum, & dearum patrem, quia aqua sit principium omnium rerum, vt docuit Thales, id sic explicabimus, vt Homeri effatum ex ipsis sacris literis aliquo modo repetamus, quod scilicet cum ab initio creata esset aqua, ex illa deinceps pulcherrima mũdi machina, quam admiramur, à Deo fuerit constructa. ideò enim spiritus Domini ferebatur super aquas, vt eas partim densando, partim dilatando, & extenuando, construeret mundum. Ea est causa, quod ab Ouidio Deus *mundi melioris origo*, fuerit appellatus, quia cum primum nonnisi moles tota obruta aquis ab ipso fuisset producta, deinceps vetuit in ea confusione manere materiam. sed ne diutius euagemur, non solum dicitur Iupiter à poetis causa omnium rerũ, sed pronunciant illius ipsius potentia omnia conseruari, & operari. quod si vel ad momẽtum auerteret nutum suũ, iam omnia in antiquum

quum

quum chaos relaberentur. quoties igitur apud poetas Dij, & Deæ aliquid aggredi volunt, vocatur Concilium à Ioue, ille iubet cõticescere omnes, ille loquitur, ille tandem sua sententia finem imponit conuentui. quid igitur miramur, si omnes dij, & deæ catena deuincti in aere pendent ex nutu Iouis? qui si non influeret, si non dirigeret, ne quidem digitum extendere possent? res verò omnes, & causæ secundæ deorum, & dearum nomine veniunt, apud Gentiles quia velut riuus sunt ex magno Oceano diuinitatis, at grauissimè lapsi sunt, quando eò deuenerunt, vt cũ causis secundis notam primę communicarẽt, & plures deos adorarent. nos verò illustrati lumine diuino Religionis cum D. Paulo dicimus *in Deo sumus, viuimus, & mouemur*: & *Dei genus sumus*: quod dicimus, non solum quia immortali anima præditi sumus, sed etiam, quia aliquid sumus à Deo productum. quod enim est, id cum Deum suo modo referat, Deus aliquatenus est. quod à deo est profectum, id diuinum cur negemus esse, atq; adeo deum? nam quis nescit longè inferiori significatu communicari diuinitatis

nomen etiam alijs pręterquam summo Deo? pergimus, & dicimus omnium causarum, excepta prima, vires esse constrictas, & ligatas, adeò vt vim suam exerere nequeant nisi operante, mouente, annuente prima causa. sic igitur catena aurea Homeri nobis ostendit verissimum esse, quod in scholis philosophorum, & Theologorum repetitum est nõ oratorijs, sed pressis verbis: nullum quod est in potentia potest seipsum reducere in actũ, omnis causa secunda est in potentia, & debet reduci in actum ab aliqua causa, quæ sit in actu. vna tantum est causa, quæ semper est in actu, scilicet prima. quod omnes causæ secundæ applicantur à causa prima ad operandum. Hoc, in quam, elegantissimè per catenam voluit nobis ob oculos ponere Homerus: sed cur catena hæc aurea vocatur? planè, vt discamus verissimum esse, quod à Theologis Christianis proditum est: quod scilicet causa prima, dum reducit ad actum causas secundas, id facit suauiter, prout scilicet conditio earum requirit; efficit, vt causæ naturales operentur secundum naturam, liberæ vicissim cum libertate agant. hoc mirum

est,

est, quod influxus ille primæ causæ non inuertit, nō perimit vim secundarum causarū, sed suauissimè promouet. at, inquietis, voluntas nostra libera cum sit, atq; adeò possit pro lubitu quocumq; ferri, quomodo dicitur teneri vincta adminiculo catenę aureæ? certè nihil magis repugnare videtur libertati, quam ita detineri vinculis, vt non liceat progredi quò placuerit. sed, auditores, difficultatis plenum opus aggrederer, si inuolutissimam quæstionem enodandam susciperē. vetus est controuersia non solum inter Christianos, sed etiam gentiles. nos quibus affulsit lumen diuinitus, nouimus libertate voluntatis præditum esse hominem, nouimus etiam ita moueri voluntatem humanā à Deo, vt voluntas à Deo, non Deus à voluntate pendeat, nouimus per diuinam motionem non euerti voluntatis libertatem. scimus rebus diuinis plurimum inesse obscuritatis, & in earum tractatione nō nitendum ingenii subtilitate, sed diuina auctoritate. neq; à mysticis effatis vel latum vnguem esse discedendum, etiamsi non possimus satisfacere omnibus, qui otio abundantes multis

interrogatiunculis diligentiam nostrā exercere amant. sed iam satis verborum de Catena Homerica. Accedo ad Herculeam, cum qua pictum nouimus non quemlibet Herculem, sed Gallicum. scitis recenseri plures Hercules; at nobis de Gallico sermo est, quando catenam memoramus. is à fortissima & eruditissima gente ita colebatur, vt diceretur catena quadam ab ore per posticam capitis partem prodeunte trahere vinctos innumeros mortales. monstri plenum spectaculum videtur ignaris. si namq; Hercules robustissimus corpori circundans catenam, aut manibus tenens duceret, aut etiam traheret aliquam multos homines, res absq; magna difficultate inueniret fidem. at quod exiens ex ore retro acta catena id faciat, id verò prope ridiculum videtur. nam quæ vis potest esse in ore, in capite hominis, vt ligatos rapiat plurimos homines? Sed admirationem auget, quod catena constricti hilares, exultabundi, alacritatis pleni, sequutur. Quis nescit, quod qui rapiūtur ligati, sequūtur trepidi, pallidi, mœroris pleni, squallentes, deiectis oculis? sæpe debent increpari, vt sequan-
tur.

tur. multi lacrymas fundunt, & totius corporis habitu indicant, quam sibi sit molestũ in vinculis trahi. recurramus, auditores, cogitatione ad vim eloquentiæ, ad impetum orationis, quam non sine summa ratione flexanimam vocauit Cicero. coluerunt aliæ nationes Herculem cum claua, quod ea armatus obeundo regiones monstra domuisset. at mihi videntur longè meliùs Galli sensisse de Hercule, quando ob potentissimã eloquentiam eum sunt venerati. claua efferam quandam vim nobis spectandam proponit. at catena trahens innumeros homines, vt lubenter sequantur, ad humanum ingenium magis facit, quod cogi non vult, sed ratione persuaderi. in societate ciuili illa pulcherrima est victoria ita disserere, vt aduersarium audientem cogas dare manus. oratio, Auditores, vinculum est humanæ societatis. oratio ita propria est hominis, vt ratio. tolle orationem, & vix discrimen inter hominem, & belluã constitues. nam quid quæso prodesset ratione multa inuenire, si tamen ea cum alijs non posses communicare? oratione qui pollet, semper plurimum in ciui-

tatibus poterit. hanc qui negliget, contemptum effugere nesciet. ò magnā desidiam eorum, qui cum homines sint, & videri velint, de oratione tamen nihil sunt solliciti. excutiant veternum, nôscant quam sibi patiuntur elabi occasionem proficiendi, dum iuuenilis ardor ad eloquentiam excitat. nam quando

Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis,

frustra Herculem Gallicum, vt eloquentiam largiatur, inuocabunt. ne verò tam salutare monitū effluat ex animis, circumferant quęso perpetua cogitatione catenam Herculcā, aut saltem quoties Herculis continget fieri mentio, reuocent sibi in mentem, quanta sit vis orationis, vt scilicet ita moderetur hominibus, ac si vinculis constrictos tanquam captiuos quocumq; velit eos trahere possit. sed tempus est, vt Paulinam catenam, Homericā, & Herculea longè præstantiorem contēplemur. istam enimuero cœlitus dimissam scimus, non tam ad alligandos homines in societate ciuili inter se, aut oratione vinciendos, quam aureis vinculis circundatos feliciter tandem ad cœlestem societatem transferendos. Paulinam catenam vocamus,

quia Paulus gentium Doctor, paucis verbis, quando epistolam exarauit ad Romanos, descripsit diuinæ prædestinationis colligatam seriem, dum ait: *Quos præcognouit eos prædestinauit, quos prædestinauit eos vocauit, quos vocauit eos iustificauit, quos iustificauit, eos glorificauit.* Hac catena Deus quosdã traducit vt pertingat ab extremo in extremũ. neq; vlla vis poterit vllum annulum huius catenæ confringere. sed hoc ante omnia sciamus oportet, quod nõ omnes hac catena sibi deuinciẽdos existimat Deus. *Quos enim præcognouit*, eos tandem etiam gloria decoros voluit esse. & numerum quidem eorum exiguum dixit esse ante Paulum Christus, quando pronunciauit. *Multi vocati, pauci electi*. quis quæso obloquatur deo, quod paucos catena vinctos trahat post odorem vnguentorum? quis ipsi potest dicere: *Cur ita facis? Quis prior dedit, ei, vt retribuatur ei? Nonne ex ipso, in ipso, per ipsum sunt omnia?* nempe diuina arcana non patiuntur se sub examen humanũ reuocari. tunc plurimum de diuinis sciemus, quando ignorantiam fassi illã venerabundi adorauerimus. liberè pronuncio: Theologiam euer-

tit,

tit, quisquis eam sui ingenij modo metiri vult. oracula diuina non ratio, sed hanc illa moderantur. in rebus friuolis exultant illi, qui res Ecclesiasticas professi nobis commendant recentia quædam inuenta, quæ scilicet diligentissimos, & sapientissimos homines effugerint. catenam verò Paulinam dum memoramus, hoc à præceptore omnium Theologorum discimus ita paucos illos mortales trahi vinctos, vt nullus hostis, quisquis ille sit eos possit ex manibus dei rapere in exitium. Nam si eos præcognouit, hoc est nouit tanquam suos, & amauit præ alijs, nouit, inquam, vt cum Theologis loquar, notitia approbationis. si quos nouit ita deduxit per illa, quibus absq; dubio, æternam salutem licet consequi, vt tandem beatos esse iusserit, quis non videt perire non posse? Exclamat itaq; audacter Paulus cum diuina catena traheretur: *Quis nos separabit à dilectione Dei?* Nolim verò, auditores, vos offendi, quando de rebus diuinis agentes vtimur nominibus catenæ, & tractionis: nam iucundissima vis per eiusmodi vocabula significatur, neq; vis existimetur esse, quæ nolentes impellat, & re-

luctantes adigat. Absit à diuina benignitate violentia, absit coactio. quin potius ita illabitur animis nostris, vt quia aliquos elegit ante iacta mundi fundamenta, sanctos, & inculpatos efficiat. non enim, vt sapienter obseruauit S. Augustinus, quia eramus sancti & inculpati, elegit nos. absit vt in catena Paulina dicatur primus annulus esse nostra sanctitas. nam disertè primum dixit Paulus, Dei electionem, vt sanctitas post annulum vocationis pendeat. rursus dico, auditores, hæc vocabula catena, tractio, vis, explicanda sunt ex istis: *Trahit sua quemq; voluptas*. quia nempe allicit suauissimè. *Cum exaltatus fuero, omnia ad me traham*, inquit Christus. & alibi. *Nemo venit ad filium, nisi pater traxerit eum*. alibi ait, quod ita tractos *nemo poterit rapere ex manibus suis*. in Cantico Canticorum nomine omnium eorum, qui trahuntur clamat Sponsa: *trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*. Trahuntur verò *funiculis Adam, & vinculis charitatis*, vt Deus loquitur. trahit Deus alliciendo beneficijs, extendendo brachia sua totam diem ad populum. conuocando, quemadmodum galli-

na conuocat pullos suos, sed & interius illabendo, & mouendo. Nam frustra externa adhiberentur, nisi occulta ratione moueretur voluntas. de quibus omnibus ita semper loquendum est, vt sartatecta maneat humani arbitrij libertas.

DE AVGMENTO MAGNORVM IMPERIORVM. DECL. VII.



QVi feliciter vult versari in lectione historiarũ, debet obseruare modos, quibus magna imperia magis ac magis augentur, & extenduntur. Ego in gratiam studiosorũ aliquos hic enumerabo, & quidem nisi fallor, præcipuos.

I. Qui debiliores sunt, & sibi singulatim metuunt à potentiori, solent inire fœdus ad mutuam defensionem. sic in Italia cum viderentur Veneti velle totã regionem in suã potestatẽ redigere, minores qui erant Principes se fœdere iunxerunt. quod si geratur bellum, & potentior obtineat victoriam, facile

deinceps singulos opprimet tanquam hostes, propterea quod suppetias tulerint. sic Pompeius redegit in suam potestatem Armeniam pulso Tigrane, propterea quod à partibus Mithradatis stetisset aduersus Romanos. Et multa alia regna Romanis subiecit Pompeius, propterea quod conspirassent cum Mithradate. sic Creta subiugata est. sic Dux Megalopolitanus exutus fuit Principatu, quia socius fuit Regis Daniæ aduersus Imperatorem Ferdinandum Secundum.

Turcæ aliquot abhinc annos habebant morem educendi altero quoque anno exercitum, ne torperet, & labores militares dedidiscerent: ad eiusmodi exercitationem quærendus erat hostis: ille verò censebatur is, qui opportunius poterat oppugnari: sic igitur Solimannus toties duxit instructissimas copias in Pannoniam, & longè latéque regionem deuastauit; varia prætexebant; sed inter illa erat absque dubio hæc etiam causa, ut non præcipua, ne otio torperent milites.

Magnis imperijs videntur multa subtracta. Quicquid enim magni Reges non possident, hoc videntur amisisse. Turca-

rum imperator non ſemel mouit bellum aduerſus Venetos, quia dicebat ſuas eſſe inſulas in mari mediterraneo, quæ ab ipſis detinerentur. ſe namq; ſucceſſorem eſſe magni Cōſtantini, ac proinde dominum eſſe omnium eorum, quæ quondam fuerunt imperij Romani. Dicit igitur velle ſe recuperare amiſſa. Hoc colore contra quem queſo non poteſt arma ſumere?

I V. Multa acquirunt magni Reges, dum debilioribus, & ad ſe confugientibus ſuppetias ferunt. Nam videtur omnino res ſancta oppreſſos ſubleuare: & intereſt dignitatis, ne illi, qui magnis Regibus cauſam ſuā commendarunt, principatu exuantur. Interim fit, vt ob magnos ſumptus factos aliquid iuris acquiratur illi, qui auxilio fuit: prætere a videtur conſultum, vt magnus rex detineat propugnacula, ne ab hoſtibus occupentur. ſic paulatim regio venit in poteſtatem eius, qui tulit ſuppetias. ſæpe contingit mori eum, aut occidi in bello, cui ſuppetiæ latę ſunt; quis tūc ei ſuccedet? certè magnus ille princeps, qui ipſius cauſam defenderat, & defendendo plurimos ſumptus fecerat. ſic

insubria venit in ditionem Hispanorū, quia primum auxilio fuerunt Sfortijs, quibus tandem extinctis Carolus Quintus Regno Hispaniç adscripsit prouinciam. causa sumptuū Heluetij Bellinzonam, Lucanum, Lucarnum, & alia oppida insubriç occuparunt. Quamuis autem Heluetij non sint inter magnos Principes recensendi, ex hoc tamen exemplo id ostenditur, quod supra dicebamus.

V. Magni Reges abundant pecunia. sçpe fit, vt minores ea magnopere indigeant. hinc magnis principibus traduntur oppida detinenda donec restituantur mutuo data. cū vrbes Sueuiç magnos sumptus fecissent in expellendo Duce VVirtembergç, qui tyrannicè se gerebat, regionem illam vendiderunt Carolo Quinto, qui eam ita tandem restituit Duci, vt successores nunc etiam domus Austriacæ dicantur esse beneficiarij.

V I. Magni Principes sæpe obtendunt trāsitum per aliquam regionem, qui si denegetur, aiunt iam sibi iustam esse causam bellum inferendi, propterea quod ius gentium violetur eiusmodi denegatione. Nam etiam Moses oppugnauit Amalechitas propterea, quod

quod noluissent ferre, vt ipse transiret per eã regionem ingressurus Palæstinam.

VII. Sæpe obtendunt magni principes, quod Reguli peccarint, crimine perfidiæ se polluerint & assentiuntur delatoribus, vt si in ipsos animaduertant, excusentur ab omnibus, propterea quod grauia crimina obiecta fuerint. quando namq; obiectum est crimen viro quamuis innocentissimo, semper manet suspicio quædam, neq; vulgus potest certò statuere eum, qui accusatur, esse innocentem. sic duces Caroli Quinti tanquam perduellem detulerunt Franciscum Sfortiã, hinc occupata regio, & non sine maxima difficultate rogantibus principibus, Carolus Quintus ei veniam dedit. hinc aiunt etiam circumuentum calumnijs Petrum Ludouicũ Farnesium apud eundem imperatorem. Folietta nihil certi contra ipsum ait ab aduersarijs prolatum.

VIII. Magni Principes etiam augent imperium, dum animaduertunt in perduelles, qui deficiunt, & arma sumunt. Nam paucissimæ rebelliones felicem exitum habent. sic exuuntur regionibus rebelles, iusto

sup-

ſupplicio. ſic Romani auxerunt imperium: quando occupabant regna non ſtatim remouebant reges. Pompeius reliquit Regem Iudææ, Armeniæ, aliiſque regionibus. ſic Ægyptij non ſtatim atq; in poteſtatem Romanorum venit regnum, deſierunt habere Reges. ſed quia ſubſecutis temporibus contigit, vt Reges multa moliti fuerint aduerſus Romanum imperium, hinc factum eſt, vt ipſis abſtulerint regnum, & regna quæ hactenus fuerant, prouincias effecerint. Armeniæ Regem reliquit Tigranē Pompeius. ſed quia populi illi ſæpe fuerunt infidi, Traianus tandem Armeniam in prouinciam redegit. conſpirauit cum Antonio regina Cleopatra, Auguſtus bello Actiaco victor Aegyptum prouinciam fecit. ſic etiam Iudæi itidem deſierunt habere ſuos Reges, poſtquam ſæpius tumultuati fuiſſent aduerſus Romanos. & Solimannus in Pannonia primum voluit eſſe regem, quem defendit aduerſus Ferdinandum Auſtriacum, tandem cum multos ſumptus feciſſet, & ſæpius veniſſet in eam regionem, iuſſit vt in poſterum Pannonia pareret Baſſæ Budenſi.

DE TRIPLICI MVTATIONE RERVM ROMANARVM. DECLAM. VIII.



IN rebus humanis nihil reperiri, quod multiplici mutationi non ſit obnoxium, tã notum eſt, vt notius eſſe nequeat. ipſorum imperiorũ, quibus nihil videtur maius, & potentius, ſunt vagi circuitus. Exemplo ſit omnium imperiorum celeberrimum, res Romana. quoties concuſſa eſt, quoties ferè deſtructa, quoties vires reſumpſit? Nunc floruit, viguit, mox ad anguſtias redacta, donec tandem propè euanuerit. Huius Rei cũ multæ poſſint recenſeri mutationes, tres tamen videntur mihi præ reliquis memorandæ. prima fuerit, quando eiectis Regibus inſtitutus eſt conſulatus à Bruto. Altera quando libertas Reipublicæ eſt oppreſſa à Iulio Cæſare tertia & vltima, quando imperij ſedes translata eſt Conſtantinopolim. De triplici hac mutatione ſi breuiter locutus fuero

ro non parum prodero illis, qui audituri sunt prælectiones nostras in Tacitum. etsi enim & prima & vltima mutationes non videantur magnopere facere ad Corneliũ, tamẽ quia decet eos, qui de rebus Romanis, quas tradit idem scriptor, loqui volunt, tres istas mutationes notas habere, ideò vos rogo etiam atque etiá, vt mihi beneuolas aures porrigatis. De prima, vt loquar, non opus est, vt prolixè vobis in mentem reuocem, qua de causa Romani instigante, & præeunte Bruto insurrexerint aduersus Tarquinium, illum expulerint, ad libertatem concurrerint. cui enim hæc audita non sunt? hoc satius fuerit obseruare, Regum apud Romanos non fuisse absolutam potestatem. quod vel ex eo manifeste constare potest, quia Reges à Romanis eligebantur. nostis qua ratione ad regnum fuerit promotus Numa?

Curibus paruis, & paupere terra
Missus in imperium magnum,

inquit Virgilius. quia ob pietatem & iustitiam magnam famam cõsecutus fuerat, ideò visus est Romanis dignissimus, qui vocaretur ad sceptrum. iam satis constat, qualis sit

conditio regum, qui electione regnum consequuntur, vt non habeant arbitrium omniũ rerum, & pro lubitu omnia possint gerere: ad conditiones adiguntur, qui hac ratione præficiuntur, quas si ipsi neglexerint, vix quicquam certi sibi possunt de volũtate aliorum polliceri. Romanus populus, etiam quando regibus parebat, ferebat leges, alias antiquabat. Regis auctoritas magna erat in gerendo bello. pacis tempore non admodum latè patebat ipsius potestas, tantum abest, vt esset immensa. sed iam ad rem nostram accedo. abusus est potestate regia Tarquinius dum primariæ nobilitatis fœminæ Lucretiæ vim intulit. Hoc etiam ipsius perniciosissimum erat consilium, vt è medio tolleret prȩstãtissimos, & virtute maximè conspicuos, vt deinceps reliquis velut mancipijs imperaret. nam proprium est barbarorum Regum, vt subditis non minus, quam seruis iugum imponant, non autem tanquam liberis hominibus prȩsint. hinc igitur ad iustissimam indignationem mouit populum, vt formam regiminis immutaret. cæterum nõ sine ratione videor mihi posse dicere non factam tunc tantam

muta-

mutationem, quanta possit alicui videri. sublata est auctoritas Regia, hoc fateor, reiectũ Regis nomen, vt in posterum illa dignitas semper pessimè audiuerit, & ne tunc quid recepta, si nomen spectes, quando euersa libertate omnia vnius voluntati fuerunt transcripta. mansit autem, si rem cernimus, potestas eminens, & prope, vt vtar verbo recepto, monarchica. hic video statim aliquem dicturũ. Monarchia est vnius imperium, & Regia potestas vnius est non plurium. at sublata regia auctoritate consulatus fuit institutus, quę dignitas duorum erat, non vnius. sed non difficile fuerit occurrere eiusmodi obiectioni. præmitto tamen, non debere videri mirum dictu, quod dixerim vix immutatam fuisse monarchiam, nam Polybius v 1. histor. vt ostendat regimen reipublicæ fuisse mixtum ex monarchia, Aristocratia, & Democratia, ait auctoritatem Consulum fuisse prope regiam. si plures consules fuissent instituti, magis discessum fuisset ab vnius imperio, verum duo tantum dicuntur consules, qui res pręsertim bellicas auctoritate, prope Regia dixerim, administrabant. nam quando pro-

dibant in expeditionem aliquam, per vices habebat alteruter eorum absolutam potestatem, quomodocumq; rem administrandi. Itaq; vnaquaq; die salus totius reipublicæ in vnius voluntate posita erat. At auctoritas Regia præterquam in bello non tanta erat. cæterum ad hanc mutationem consecutum est incredibile in animis Romanorum desiderium bene de republica merendi. quandoquidem rem fortiter gerendo, & virtuti dando operam populi applausum obtinebant, à quo suffragijs ad insignes dignitates promouebantur. sic igitur Roma facta est velut maximum omnium virtutum theatrum. & certè florente republica, & libertate, tam egregiè se gesserunt ciues Romani, vt nulla respublica dederit eiusmodi exépla, vt nos docet Liuius in principio historiarũ. sed tépus est, vt transeamus ad alteram mutationem. ad tantam magnitudinem peruenerat respublica Romana, vt præ magno pondere nutaret, & lapsura videretur. rectè & sapienter dixit ille:

------ *Summisq; negatum*
Stare diu.

Ho-

Horatius cum loqueretur de causa bellorum ciuilium scripsit:

Suisq; Roma viribus ruit.

Orbem quasi inter se diuiserunt tres potentissimi ciues Crassus, Pompeius, Cęsar. Crassus pollebat diuitijs. Pompeius nitebatur magnitudine rerum gestarum. in Cęsare erat maxima in rebus gerendis & celeritas, & dexteritas, ne iam dicam de eloquentia, & virtute militari. Crassus citò perijt in expeditione contra Parthos: supererant Pōpeius & Cęsar. Pompeio cedere nolebat Cęsar. Pompeius Cęsarem ferre non poterat. hinc simultates, & aperta tandem odia, hinc bella; quibus perijt flos ciuium Romanorum, direptum ęrarium. res tota nulli non nota est, qui vel obiter historiam Romanā vidit. vt verò ad hanc mutationem propius accedam, sub nomine dictaturę perpetuæ cuncta ad se traxit Cæsar. Dictatoris enim potestas non erat minor Regia: & verò Græci Dictatores monarchas vocant: nec aliud nomen habent, quo dictatoriam dignitatem exprimant. iure namq; belli Dictator habebat absolutam potestatem in omnes. Cæterum quemadmo-

dum

dum quando exacti sunt Reges, aucta est senatus auctoritas. (Nam etiam sub Regibus erat senatus, sed non ea auctoritate pollebat, quantam obtinuit post pulsum Tarquinium) ita postquam Cæsar arripuit perpetuam dictaturam imminuta est eiusdem senatus potestas, quod facile animaduertet quisquis rationem suffragiorũ expenderit, quibus creabantur Consules. qua de re alibi me dixisse memini, & eruditè rem totam explicat I. Lipsius ad Annales Taciti. quid autem quæso consecutus est Cæsar immensa illa, qua flagrabat regnandi cupiditate? odium immensum Ciuium Romanorum, adeò vt tandem iuxta statuam Pompeij confossus fuerit, quasi victima. rursus: vt post primam mutationem sæpe periclitata est respublica propter frequentia dissidia, vt verissimè dixerit Tacitus Romanos non posse ferre totam libertatem: ita post Cæsaris Dictaturam imperante vno extrema experti sunt ijdem in seruitute. quæ quidem diligentissimè describuntur in annalibus. licet negare non possimus fuisse etiã inter Imperatores optimos, & laudatissimos, Augustos, Vespasianos, Traianos, Antoni-

nos, & non paucos alios, sub quorum dominatu felicissimè vixerunt Romani. Nunc ad vltimam mutationem propero. cur sedem imperij Byzantium transtulerit Constantinus non vna adducitur causa. sunt qui putant ideò susceptum fuisse ab eo hoc consilium, vt cederet summo rerum sacrarum præsidi & arbitro Pontifici Romano. Existimabat non decere ibi degere Imperatorem, vbi esset prima sedes religionis. & sanè res ista admiratione non caret, quod postquam Cæsares dederunt sua nomina Christo, nunquam amplius incoluerunt Romam. Scio aliquem dicturum non opus fuisse ibi morari, postquam Constantinopoli electa & fixa est sedes. at subsecutis temporibus licet aliquando Imperatores aliquamdiu degerint in Italia, alibi tamen quam Romæ habitarunt. Cæterum ego de hac causa translationis nihil certi iam pronuncio, tantum refero, quid aliquibus videatur. Alij verò putant Byzantiũ migrasse Constantinum, & sui nominis vrbẽ condidisse, vt hac quoq; ratione nominis immortalitatem sibi pararet. Verè enim locus ille dignus erat, qui eligeretur sedes Imperij.

& satis

& satis notum est quid dixerit oraculum, quum Chalcedon è regione Byzantij condita esset, eos scilicet cæcos fuisse, qui neglecto loco, vbi iam Constantinopolis est, ex aduerso vrbem construxissent. hæc ratio consilij Imperatoris verisimilitudine non caret. accedit tandem tertia, quam nonnulli adferunt. Senatus Romanus, cum certaretur de imperio inter Maxentium & Costantinum stetit à partibus Maxentij. quia hic Gentilis erat, & Senatores plerique omnes adhuc erant superstitioni addicti, & idololatriæ. victor tamen fuit Constantinus, & instaurauit longè lateq; Religionem christianam. quare minus amabatur à senatu. & ipse vicissim ob memoriam rerum præteritarum, & quia à sacris Christianis alienum norat, eundem auersabatur. quare optimum factu visum est, vt ab vrbe discederet. at quæ tandem mutatio fuit hæc in imperio Romano? Nam parum videtur referre ad statum imperij, sedes sit Romæ an Constantinopoli. sed audiat qui sic ratiocinatur, quid ego dicam. tanti momenti fuisse fuit hæc translatio ad mutationē imperij, vt viri docti, inter quos

I. Lipsius in libro de magnitudine Romana existiment ideò tandem concidisse imperiũ, quòd sedes veteri loca mota fuerit. qua de re longa posset instituti dissertatio. & forte ego suo loco agam prolixè de hac materia. interim obseruemus, & dicamus Constantinopolim non fuisse ita aptam ad reprimendos populos Septentrionales, qui semper fuerunt molesti Romanis. & certè tandem velut repagulis effractis, cum non adessent cõsuetæ legiones eruperunt, Italiam peruaserunt, Romam diripuerunt, nobilissimum corpus Imperij dilacerarunt, sedes etiam in Africa, & Hispania fixerunt. hoc illi non potuerunt efficere, quamdiu Romę fuit imperij sedes. pręterea locus ipse, & regionis Constantinopolitanę constitutio nõ videtur proferre ingenia ita apta militię, & laboribus bellicis. cum Roma olim semper dederit viros insignes fortitudine militari. numeremus, Imperatores Byzantinos, quotusquisq; fuit laude bellica conspicuus? nam Iustinianus potius per pręfectos administrauit bellum, & maiestatem imperij vtcumq; asseruit. *F I N I S.*

LECTORI.

TRiplex est hominum genus, in quorum manus optarim, ne incidant hæ declamationes. primi nihil probant, nisi quod viderint tessellarum instar, quibus vermiculantur pauimenta, compositum, qui leuissimas etiam scriptiunculas per anxias & repetitas inuersiones decorant an dedecorant. imitati puellas illas, quæ pallidulæ, succicaßæ è strato cum se proripiant, antequam domo prodeant, ad speculum per ærumnosum ancillæ ministerium, ædificant emptis capillis verticem, oblinunt, & obumbrant cerussa faciem, & breuiculæ cum sint vt pumilones, par crepidarum supponunt plantis sesquipedales tantum, ne, quæ sunt, à curiosis oculis deprehendantur. Alteris humi repit, quicquid intelligi potest, triuium sapit, quod ferrea metaphora non est, plebeium censetur, quod dirceo furore non ampullatur. Reliqui sic agmen claudunt, vt, cum norint quæcumque in hanc diem dicta, ficta, nauteam putent olere libros eos, in quibus perpetua serie connexa non deteguntur arcana. Ego verò vltro fateor, à me non esse hæc exarata, quod sperarem Delicatulis, Aenigmaticis, Omniscijs placitura.

Adm. Reu. D. Franciſcus Maria Gualterottus Can. Floren. videat, an in hoc opere aliquid contineatur quod Fidei Chriſtianæ, vel bonis moribus repugnet ſeu aduerſetur nobiſq; inferius referat. 2 Iulij 1630.

Petrus Niccolinus Vic. Gen. Flor.

Opus hoc à grauiſſimo Doctore Paganino Gaudentio erudite conſcriptum pro mandato mihi munere, iuxta noui Indicis Regulas examinaui, & cum nihil inuenerim quod Catholicę Fidei repugnet, hac mea inſcriptione prælo mandandum cenſui. Die 10. Iulij 1630.

Franc. Maria Gual Can. Flor.

Imprimatur Florentiæ ordinibus conſuetis ſeruatis. 10. Iulij 1630.

Petrus Niccolinus Vic. Gen. Flor.

Has declamationes eruditiſſimi D. Paganini vidi ego Hieronymus Roſatus Conſultor S. Inquiſitionis, & in ipſis non vidi quid contra fidem aut bonos mores, ideo tipis dandas iudicaui. Die 13. Iulij 1630. Idem qui ſupra.

Imprimatur. Die 15. Iulij 1630.
F. Clemens Egidius Inqu. Gener. Flor.

Stampiſi. Adì 22. di Luglio 1630.
Niccolò dell'Antella.

CORRIGENDA.

Pag. 8.	lin. 20.	vsu	vsum
16.	22.	quæ	qui
33.	vlt.	posse	potuisse
35.	5.	Iouiniano	Iouiano
46.	1.	ipsius	ipsis
48.	8.	imperum	imperium
52.	23.	aptissimam	aptissimum
54.	19.	memoria	memoriæ
56.	post; admiratione, insere, gessisse		
56.	3.	sollertiæ	solertiæ
61.	8.	orunt	erunt
68.	22.	sequutur	sequuntur
68.	24.	squallentes	squalentes
83.	4.	quid	quidem
88.	22.	post sedes	adde: ne
	24.	dele fuisse	